# DE COMPARANDA SENECTUTIS FELICITATE LIBRI TRES A. B. B. C.R. S.P

Bruno Bruni



# DE COMPARANDA
# SENECTUTIS
# FELICITATE

LIBRI TRES

A. B. B.

C. R. S. P.









ROMÆ

EX TYPOGRAPHIO JOANNIS ZEMPEL

ANNO 1793.

*SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.*

*Quicumque viriliter se habet, & viriliter pugnat, cuiuscumque ætatis sit, inter iuvenes computari debet. E contra, cuiuscumque ætatis sit homo, virtute, & constantia in eo deficiente inter senes reputatur.*

S.Bruno Astensis in Comment. super Psal.LXX. edit.Rom. Tom.1.pag.448.

# VICTORI · MELANO

SARDINIAE . ET . CORSICAE . PRIMATI

PONTIFICIS . MAX. VEXILLIFERO

QVI

IN . PRIMO . IVVENTVTIS . FLORE

ORDINEM . PRAEDICATORVM . PROFESSVS

PHILOSOPHIAE. AC.THEOLOGIAE. DOCTOR

DECLARATVS . EST

THEOLOGIAM . IN . ACADEM. CALARITANA

PLVRES . ANNOS . DOCVIT

AD.ECCL.CALARIT.CATHEDRAM. EVECTVS

OMNIVM.ORDINVM.PLAVSV. EXCEPTVS.EST

OMNIVMQ. AMOREM . ET . OBSEQVIVM

SIBI . CONCILIAVIT . FACILLIME

DOCTRINA . PRVDENTIA . EXEMPLO

RELIGIONEM . MIRIFICE . EXCOLVIT

AMPLIFICAVITQ.

LAVDEM.AB.APOST.SEDE.CONSECVTVS.EST

SPLENDIDIORA . DEDIT

VIRTVTIS . ARGVMENTA

IN.NVPERRIMA.REGNI.ET.VRBIS.OBSIDIONE

ASSIDVIS . AD . DEVM . COELITESQ.

PRECATIONIBVS

INITIS . CVM . PROREGE . CONSILIIS

CALARITANORVM . ANIMOS

RELIGIONE . IN . DEVM . OPT. MAX

FIDE . ERGA . PRINCIPEM . EGREGIVM

PRAESTANTISSIMOS

ADVERSVS.ACERRIMOS.HOSTES . FIRMAVIT

VICTORESQ. EFFECIT

VNIVERSAMQ. ITALIAM . INCOLVMEM

REDDIDIT

PRAESVLI . AMPLISSIMO

CONSANGVINEO . ET . AMICO . OPTIMO

BRVNO . BRVNI . CLER.REG.SCHOLAR.PIAR.

LAETVS . LVBENS . MERITO

D. D. D.

# INDEX CAPITUM

QUÆ IN HOC TRACTATU

# DE COMPARANDA SENECTUTIS FELICITATE

CONTINENTUR.

## LIBER PRIMUS

DE VITA SPIRITUALI

## LIBER SECUNDUS

### DE VITA LITTERARIA



## LIBER TERTIUS

### DE VITA SOCIALI

# PRÆFATIO

IN QUA ADVERSUS NEOTERICUM SCRIPTOREM ERUDITUM REDDITUR RATIO SCRIPTORUM MEORUM.

DE suis scriptis rationem Lectoribus reddere non solum licet; sed aliquando est necessarium; cum aliqui vel invidia, vel adverso animo auctori detrahere conantur. Hoc idem ab aliis actum esse scriptoribus nemo non hospes in eruditione ignorat. Præmitto Opuscula quædam me Florentiæ, ubi pluribus iam annis Scholasticorum nostrorum studiis præeram, edidisse, & dicam, qua occasione, quibusque impulsibus, ea in publicam lucem emiserim. Primum scripsi librum *de Bono usu educationis*, ut rem gratam facerem clariss. D. Equiti Baccio Aldobrandinio, qui frustra perquisito exemplari aliquo operis P. nostri Eugenii Orlandii Florentini de Juvenum institutionibus an. 1700. typis Florentinis apud Tartinium, & Franchium edito, & Cosmæ III. M.E D. dicato, ut duobus Nepotibus suis legendum daret, quorum a Patre tutor supremis tabulis institutus fuerat, optavit, ut alterum eiusdem rei librum illi

 suffi-

sufficerem. Paucos intra menses cum huiusmodi lucubrationem absolvissem, Romam ad P. nostrum Jo. Bapt. Giuriam Præp. Generalem misi, eoque approbante, & volente, ex Romano Typographio Jo. Zempel in lucem prodiit Opusculum anno 1771. sub auspiciis Eminentissimi Principis & S. R. E. Cardinalis Jo. Antonii Columnæ in Urbe P. M. Vicarii, Ordinisque mei Protectoris optime meriti. Post biennium hortatu præstantissimi, ac doctissimi D. Francisci Caietani Incontrii Archiepiscopi Florentini, qui munere Examinatoris Cleri sui me exornaverat, summam doctrinarum *de Gratia Christi*, & *De Sacramentis* Romæ eisdem typis Zempelianis amplissimi Principis, & S.R.E. Cardinalis Dominici Ursinii nomine illustratam publicavi anno 1773. Cum vero Catholicæ Religionis, legisque Evangelicæ eversores aliqui, pallio philosophico lavati, Voltairius scilicet, Elvetius, Russoius, Didrotius, aliique eiusdem furfuris, suis scriptis impia dogmata in vulgus obtrudere pertentassent, ne Florentina Juventus curæ nostræ commissa horum lectione inficeretur, Sermones quosdam: *De homine ad finem suum ultimum directo*, confutatis erroribus, exaravi, eidemque Florentino Archiepiscopo dicatos an. 1774. apud Ca-

Caietanum Cambiagium publicos feci. Dum huiusmodi editio sub prælo esset, intellexi vulgatum in Galiis pestiferum quemdam librum Genevæ impressum hoc sub titulo: *Examen criticum de Apologistis Christianæ Religionis, auctore D. Frereto, perpetuo a secretis Academiæ Parisiensis, Inscriptionum, & Opt. Litterarum*. Nondum opus illud, quamvis ab anno 1766. impressum, apud Bibliopolas Florentinos prostrabat, nec auctor ullus Italus refutaverat (1). Mihi ergo ex Genevensi Typographio paravi; vixque specimen operis vidi, incredibilem scriptoris audaciam, summamque cognovi calliditatem, qui quatuor Evangelia de suppositione insimulans, & primorum Ecclesiæ Patrum auctoritati illudens, Christianam Religionem a fundamentis evertit. Quis non exploratum habebit, eo iam tempore a Gallis Calvinismo addictis contra catholicam fidem, Christianosque Principes fatale parari bellum, quod nostris diebus maximo cum furore erupit, universamque pene Europam occupavit? Obstupui, & infremui de tanta auctoris in Christianissimo re-

(1) Prodierat iam Parisiis an. 1771. clariss. D. Bergerii eximia Frereti confutatio, mihi prorsus ignota, cuius nullum exemplar Florentiæ apparuerat.

regno commorantis impudentia, & impietate; sed multo magis de Regiorum administrorum oscitantia, qui veneficum librum illum impune undequaque vulgari permiserint; quare pro viribus refellere statui. At patriæ, & amicitiæ causa, cum clariss. Vincentius Fassinins O. P. in Atheneo Pisano Sacræ Scripturæ professor me convenisset, simulque de scelesto Frereti libro sermonem haberemus, novimus eamdem provinciam utrumque suscepisse. Verum inter nos deliberatum est, diversa via hostem adoriri; scilicet, quod ille Frereti argumenta, quibus Evangeliorum suppositionem probare contendit, futilia, cavillosa, falsa, nulliusque momenti demonstraret, quod egregie, sapienterque typis Liburnensibus præstitit. Ego autem PP. Apologistas Religionis Christianæ contra Gentiles a censuris Neoterici auctoris vindicavi; præmisique in Præfatione confutationem præcipuarum rationum, in quibus Freretus totam vim, & pondus lucubrationis suæ collocavit. Cum autem mense Martio mediante Romam lucrandi causa Indulgentiam Jubilæi an. 1775. venissem, & postquam ad Summi Pontificis PII VI. pedes, paulo ante ad Apostolicam Sedem evecti, admissus essem, Ei obtuli Opuscula mea edita, quæ peramanter, humaniter-

terque acceptavit . Tanta devinctus benignitate, supplices Ei preces exposui, ut novum Opus, Eius Patrocinio, & Nomine exornatum, in lucem emittere mihi veniam daret. Clementissime annuit Pontifex Maximus; quare sub finem mensis Quintilis Florentiam redux, Superioribus adprobantibus, tractatum meum Caietano Cambiagio imprimendum dedi. Februario mense an. 1776. volumen in lucem prodiit, missaque Romam eius exemplaria, clariss. Præsul Franciscus Carrara, tunc a secretis Sac.Congreg.Concilii, postea S.R.E. Cardinalis, PIO VI. Pontifici D. N. obtulit. Non mihi diu desideranda fuere Papæ Beatissimi responsa; quin ipse per Breves Litteras dat.XIII. Kal. Aprilis eiusdem an.1776. lucubrationem meam probavit, productumque ad finem opus amplissimis verbis commendavit. Præclara hæc Pontificis Maximi commendatio, quem non movisset, ut aliquid aliud hisce temporibus opportunum scribere niteretur, quo Supremi Hyerarchæ clementiam, & benignitatem singularem testatam faceret, eiusque gratiam magis magisque sibi conciliaret? Hæc mihi animo volventi plura occurrerunt argumenta, quibus prætuli collectionem alteram SS.Patrum, qui primi veræ Ecclesiæ notas, seu prærogativas con-

contra hæreticos Novatianos, Donatistas, aliosque validissime vindicarunt, quas etiam moderni heterodoxi discerpere, & convellere conantur. Nemo illam adhuc in Italia egerat, atque mihi visa est prioris collectionis pars altera; cum enim illa Religionis nostræ veritatem contra Ethnicos adsereret; hæc Ecclesiæ nostræ sanctitatem, ceterosque characteres, profligatis hæreticis, illos impie negantibus, sole clarius comprobabat. Deo dante, huiusmodi collectionem biennio minus absolvi, quamvis plura, magnaque Scriptorum volumina mihi legenda, & conferenda fuerint, & typis item Florentinis excussa in publicum apparuit an. 1778. Eiusdem PII VI. Nomine collectio hæc insignita fuit, & clementissimam Summi Pontificis approbationem obtinuit, quam suis Brevibus Litteris datis VI. Idus Aprilis eiusdem anni mihi auctori significavit. Ab assiduo plurium annorum labore paululum quiescere cogitabam; sed aliud facinus longe anteactis opellis gravius, meisque viribus, & ingenio impar in iisdem SS.Pontificis litteris mihi commissum accepi. Inscius omnino, vix legi, mente hæsi, totisque artibus contremui. En verba P. M.: *Hic autem tibi auctores sumus, ut separato volumine addas Homilias,*

*cun-*

*cunctaque opera S.Maximi Taurinensis, quæ multis dispersa locis, tamen in Veneta novissima editione S.Petri Chrysologi facile inveniuntur &c.* Responsa, quæ statim P. M. reddidi, præter humillimas gratiarum significationes, quod labores mei accepti, gratique fuissent S.S., obsequentissimam complectebantur petitionem, ut aliquid mihi temporis concederet, pro re tanti momenti deliberanda. Apertius scripsi Præsuli D. Carrara, a quo Pontificiæ Litteræ mihi venerant, eumque monui mea de suspicione, quod Taurini ad editionem Operum S. Maximi Episcopi iam aliquis manus admovisset. Retulit idem Præsul D. Carrara SS. Pontifici litteras meas, quibus auditis, eidem Præsuli mandavit, ut me urgeret ad certam fidem habendam; utrum vere Taurini Maximiana editio ageretur. Confestim de Summi Pontificis voluntate conscium feci D.Vincentium Borellium Theologum ex Regii Athenei Collegio amicum meum, qui sub finem mensis Maii mihi rescripsit: *Fuisse quidem commendatam ab Archiepiscopo Taurinensi D. Francisco Lucerna de Rorà D. Eugenio de Levis Opp. S. Maximi Taurin. Episcopi collectionem; sed eo immatura morte sublato, in exitu mensis Decembris elapsi anni*

*ni*

*ni* 1777., *spem eius omnem concidisse*. Autographam epistolam misi Romam, quam ut PIUS VI. vidit, sua statim mihi renovavit mandata, ut nulla mora interposita, me totum ad iniunctam collectionem consecrarem. Parere ergo me oportuit, humerosque tam gravi sarcinæ subponere; cumque aliæ curæ, aliaque studia fere ad hoc temporis me occupassent, maior fuit labor, & contentio propter siglas, diversamque characterum speciem in assequenda veterum Codicum MSS. lectione, quos in Bibliothecis Med. Laurentiana, & S. Marci O. P. subito consulere, & excribere cœpi. Hic plurimum me debere fateor clariss. Angelo M. Bandinio Eccl. Laurent. Canonico, & Bibl. Med. Laurentian. præsidi, quemadmodum eius adiutori D. Canonico Ant. Sartio, in characteribus antiquis versatissimis, qui in difficultatibus meis consilium, & operam libentissime contulerunt. Quindecim mensium periodo Homiliarum, & Sermonum Sancti Maximi collectionem, quæ Florentiæ agi poterat, absolvi; de qua cum Præsul D. Carrara Summum Pontificem certiorem fecisset, Romam vocatus fui, ut Codices in Bibliothecis Romanis existentes consulerem, novisque acquisitionibus Maximianam

edi-

editionem locupletarem. Omnia ad meum usum relinquere oportuit, & præcipue quod me doluit, non exiguam librorum seriem, meis laboribus comparatam. Die 13. Novembris anni 1779. Urbem adveni, dieque 15. ad pedes SS. Patris, adventus mei iam conscii, idem Præsul Carrara me adduxit. Humanitas autem, & lætitia, qua SS. Pontifex me complexus est, tanta fuit, ut impar sim eam referre; reddidi quidem Ei rationem de iis, quæ Florentiæ egeram, ac veluti aliquid speciminis S. S. exhibui Sermonem ineditum, cui titulus: *De Evangelica piscatione*, in quo legendo B. S. Maximianam eloquentiam, & energíam agnoscere persæpe testatus est. Interim PIUS VI. ad memoratam editionem a se excogitatam alacriter promovendam, DD. Aloysio Gallettio, pridem Abbati Benedictino, tunc Episcopo Cyrenensi, & Stephano Borgia a secretis Sac. Congreg. Popagandæ Fidei, eruditionis Ecclesiasticæ scientissimis, in mandatis dederat, ut in colligendis S. Maximi scriptis curam omnem impenderent. Hanc sane plurimam contulerunt, præcipue D. Stephanus Borgia, qui Beneventanum, & Sublacense archiva diligentissime lustravit, & ab Codicibus MSS. eximiæ notæ permulta

pro

pro Maximiana collectione acquisivit, ac Summo Pontifici, præmissa eleganti præfatione, detulit. Eamdem provinciam idem SS. Pontifex per Breves Litteras Nunciis suis apud Catholicos Principes commisit, qui singuli, & præsertim D. Joseph Garampius Episcopus Montis Falisci apud Josephum II. Imperatorem Legatus, dein S.R.E. Card. eruditissimus, Pontificis voluntati cumulatissime satisfecerunt. Memorabo etiam itinera, quæ ego ipse obivi ad Monasteria Farfense, & Casinense, antiquis MSS. Codicibus locupletissima, in quibus, me adiuvantibus doctis illis Monachis, plures Homilias, & Sermones ineditos comparavi, pluresque interpolatos, & mancos perfeci, aliosque ut spurios reieci.

Ex his quilibet sapiens Lector iudicabit, an alibi, quam Romæ tam accurata, tamque splendida Maximiana editio fieri potuisset; cum tanta non solum utilia, sed necessaria cuilibet absenti collectori commoda, & præsidia defuissent. Ecquis enim sibi blanditur absque longa indagine, & collatione Codd. Florentinorum, Romanorum, Casinensium, Farfensium, aliarumque celebriorum Bibliothecarum, qui meo in catalogo descripti videntur, eamdem si provin-

ciam

ciam suscepisset, se idem opus æque feliciter expleturum fuisse? Immerito igitur quidam novus auctor de me questus est, quasi ipsi præclaram messem de manibus eripuerim, qui fortasse aliqua Maximiana scripta collegerat; sed nimis exigua pro dignitate, & amplitudine Opp. S. Doctoris, & Ecclesiæ Taurinensis Episcopi; quam ipse Summus Pontifex editionis auctor ornatam, completamque vehementer exoptabat. Silentio transiliam magnum auri pondus in tam splendida editione, aliisque rebus ad eam necessariis impensum, cui nec ille, nec patronus eius quisquam sufficere valuisset; quod magnitudo, & munificentia PII VI. liberalissime præstitit. Mihi oppositum fuit Homilias aliquas S. Maximi omisisse, & aliarum parentem non satis probasse; cui querelæ respondeo: idem PP. Maurinis, Valarsio, Muratorio, aliisque collectoribus accidisse; neque ideo oscitantiæ insimulandos esse. Quis enim in tanta Librariorum copia, & Codicum diversitate scripta omnia in tot regionibus dispersa consequi potest? Nuper in quodam Monasterio Monachorum S. Benedicti in Diœcesi Leodiensi reperti sunt integri duo Tractatus S. Maximi contra Paganos, & contra Judæos, quos ex Codice

Ve-

Veronensi, ut accepimus, imperfectos, Summo Pontifice sic iubente, in lucem cum reliquis operibus emisimus. Si quid censor meus dignum Maximiana eloquentia habet, publici iuris faciat; eum libentissime commendabo.

Sextili mense anno 1784. typis Propagandæ Fidei absoluta fuit editio Opp. S. Maximi, cuius volumen initio sequentis mensis Beatissimo Patri D. N. obtuli. Cum autem augustam Taurinorum urbem S. Maximus eius Episcopus tam illustrem scriptis suis reddidisset, eorum collectionem VICTORIS AMEDEI III. Sardiniæ Regis nomine PIUS VI ornari voluit, adeoque me ineunte Septembri Taurinum misit, ut una cum D. Antonio Comite Codronchio S. Sedis apud Regem Prolegato, nunc Ecclesiæ Ravennatensis Archiepiscopo meritissimo, volumina elegantissime concinnata Regi, ac CAROLO EMMANUELI Pedemontii Principi donanda deferrem. Hæc feliciter egi, & Romam redux sub finem Decembris, maximas Summo Pontifici VICTORIS AMEDEI Regis, & CAROLI EMMANUELIS Principis gratiarum significationes, quas mihi in mandatis dederant, copiose reddidi; quasque PIUS VI. gratas, acceptasque habere pluribus testatus est. Re-

Referam etiam quomodo ad aliorum meorum operum editionem processerim. Dum Florentiæ Codices Laurentianos consulerem pro collectione S.Maximi, plures Homilias, & Sermones S. Brunoni Signiensi Episcopo attributos comperi, & diligenter pervolvi (1). Cumque mihi cognita esset vetus quædam editio sub nomine S. Brunonis Astensis, cuius auctor fuerat D.Maurus Marchesius Monachus Casinensis, & Venetiis excusa an.1651., veruntamen imperfecta, multisque erratis adspersa, novam, accuratioremque collectionem mihi adornandam proposui. Eam igitur S.Brunone patrono meo auspice aggressus sum, & cum toto anno 1785. Romæ, quæ colligi poterant, comparassem, Florentiam IV. Idus Septembris me contuli, ut quidquid S. Brunoni

(1) Nuper eruditissimus P.D. Jo.Bapt. Federicius Monachus Casinensis, suis litteris Nonis Julii datis, me monuit de testimonio, quod Eadmerus Monachus Benedictinus Cantuariensis reddit in Historia *Novorum lib. IV. pag.* 75. in Supplemento Opp. S. Anselmi Archiep. Cantuariensis ad editionem P.Gerberonii Maurini, de dignitate Cardinalatûs S.Brunonis, de qua aliqua dixi in vita eiusdem Tom.1. Cap.XIV. pag. 84., afferens auctoritatem doctissimi D. Jo. Mabillonii, aliorumque Scriptorum, quæ etiam relata sunt a clariss.Petro Lazzario in Præf. ad edit. Comment. S. Brunonis in quatuor Evangelia. Hæc sunt verba Eadmeri, olim S.Anselmi discipuli: *His diebus venit Rothomagum Boemondus unus de nominatissimis Hierosolymitanæ viæ Principibus habens in comitatu suo quemdam Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Brunonem.*

noni attributum comperissem, exscriberem. Plura quidem extuli ex Bibl. Medic. Laurentiana; plura alia ex Bibl. S. Marci O. P., & ex Riccardiana Commentarium ineditum S. Brunonis in Cant. Canticorum, quo conclusa est controversia de alia commentatione, diversis auctoribus adscripta, quam Marchesius inter Opera genuina S. Episcopi Signiensis publicavit. Romam Novembri exeunte remeavi; sed lethaliter infirmatus, nimium propter laborem Florentiæ actum, pessimumque redditum, qua ex infirmitate non nisi medio Februario convalui. Obfirmatis ergo viribus, totus ad opus perficiendum me consecravi; & tandem anno 1789. primum S. Brunonis volumen ex Typographio Joannis Zempel protuli in lucem, & biennio elapso secundum, utrumque Regiæ Celsitudini CAROLI EMMANUELIS Pedemontii Principis dicatum.

Hic non omittendas reor observationes, quas dum opera S. Maximi cuderentur, duorum præstantissimorum Episcoporum impulsu, nempe Joannis Nanii Brixiensis, & Antonii M. Gardinii Cremensis, super Analysim præscriptionum Tertulliani exaravi, & initio mensis Sextilis an. 1784. in vulgus emisi. Inter primos spartam illam adornandam suscepi, ne-

neque a D. Petro Tamburinio Analysis auctore acerba critice lacessitus fui, quod modeste, & pro elucidanda Catholica veritate secum egissem, & ubi cum illo convenire potui, libenti animo testatus essem. De vita Cosmæ Medicis M. E. D. primi, Florentiæ dum morabar an. 1765. impressa, & non publici iuris facta, historiam nimis longam omitto. Non ignoratum fuit, me multis devictum politicis rationibus, quamvis Præsidum approbatio interfuisset; publicam reddere scriptionem meam noluisse; aliquod tamen exemplar e prælo sublatum fuit, & apud me unum superest. In fastis Mediceorum Principum versatus eram, quod quatuor commentaria, seu elogia in magna splendidaque illustrium Virorum Etruscorum collectione, curante Josepho Allegrinio, edideram, scilicet Cosmæ Senioris publico decreto Patriæ Patris appellato, Laurentii cognomento Magnifici, Leonis X. P. M., & Joannis Patris Cosmæ I. Etruriæ M.Ducis, militari virtute celeberrimi. His addidi elogia Collucii Salutati Reipublicæ Florentinæ a secretis, & Joannis Salviati S. R. E. Cardinalis, qui viri sapientissimi bonas artes, & disciplinas summo favore, & patrocinio promoverunt. Tandem hic te Lector monitum faciam de Opuscolo, quod

quod *De comparanda senectutis felicitate* elaboravi, otii fugendi causa; quod tibi exhibeo; ut si singulari Dei munere ad provectam senectam, mente, viribusque corporis valentibus, perveneris, his utaris, quæ mea experientia tibi perutilia futura polliceor. Vale.





DE

# DE COMPARANDA SENECTUTIS FELICITATE

## LIBRI TRES



## LIBER PRIMUS

### DE VITA SPIRITUALI

### CAPUT I.

*Maximum Dei munus est valens senectus.*

CUm ego LXXIX. annum ætatis meæ feliciter agam, & hoc singulare, maximumque Dei munus haberi fatear; visus sum ingrati animi notam effugere haud posse, nisi quanti illud faciam, ostendam, atque a summo Datore hujusmodi gratiam diuturniori tempore mihi promerear. Gaudeant senes me de comparanda senectutis felicitate scribere, & commendare ætatem, quam sacri, & prophani Scriptores iuventuti præferunt, ac laboriosæ vitæ iucundum fructum appellant.

Primo igitur statuendum est cum sapientissimo Rege Eccli 11. 14., quod cum vita, & mors a Deo sint, non casu vita protrahitur, & mors arcetur; sed a sola Dei beneficentia hoc præstantissimum bonum acceptum referre debemus. Quare vero pauci admodum felices, diu-

turnosque impleant dies, quamvis æternæ sapientiæ consilia investigare impares simus; in parabola tamen satis nota infructuosæ ficulneæ apud Lucam c.13.1. plane erudimur, vacuos homines bene factis, dignisque fructibus carentes, provectam senectam sibi demereri, & a B. Hieronymo Ep.8. ad Paulum Concordiensem audimus: *Humanæ vitæ brevitatem damnationem esse delictorum*. Fateor equidem ex divino oraculo e vivis eripi quosdam in primo iuventutis flore; sed ut dictum est Sap. cap.3.11., rapti sunt, quia in virtutibus expleverunt tempora multa, & placita Deo erat eorum anima, vel hoc ex mundo in alium translati, ne huius malitia eorum intellectum immutaret. Deus, qui ab alto conspicit quot innocentes animæ nugarum secularium allucinatione abripiantur; quot etiam, & si meliora cognoscant, deteriora sequuntur, eos citius ab humano habitaculo eripit, & ad cœlestem civitatem perducit. Ceterum malis, pravisque hominibus non abnuo concessos aliquando longissimos dies, ut historiæ omnes testantur; idque a Deo permitti, docent SS. Patres, vel ut inexcusabiles sint, si damnentur, vel ut boni exerceantur, aut tandem, ut Dei patientiam admirentur iusti, & imitentur. Senes ergo, qui diuturno tempore superstites sunt, & incolumes, plurimum largitori optimo se debere fateantur, adeoque quidquid in ipsis inest virium in Dei gloriam, suique profectum impendant. Hoc perfecte intelligens S.David, cum senuisset, fassus est, in uberi Dei misericordia senectutem suam

suam procedere, id est multis ac præclaris donis abundare. Ast cum idem S.Propheta deprecabatur, ne eum Deus in senecta, & senio derelinqueret, optabat lumen, & vires, quibus sanctum nomen ejus, & gloriam in omnem venturam generationem annuntiaret, & propagaret (1). Videbuntur fortasse senibus aliquibus non æqua, sed valde onerosa mea hæc consilia, cum eis tranquillæ, commodæque vitæ vacare non proponam, sed operosos semper, industriosque esse suadeam, atque adhorter.

Vereor etiam ne otio dediti de his sint, quos redarguit Spiritus sanctus Eccli. 25. 5., dicens: *Quæ in iuventute tua non parasti, quomodo in senectute tua invenies?* Hi enim cum in iuventute usum activæ, ac laboriosæ vitæ non habuerint, neque cum ad canitiem pervenerint, quos ante coluerant mores, immutabunt. Vitam siquidem, docente Rege sapientissimo Prov.22.6. quam tenuerit homo in adolescentia sua, etiam cum senuerit, non recedet ab ea; habitus quippe boni, sicut longa exercitatione familiares fiunt, oppositisque insultibus facile obsistunt; ita habitus mali, inveterata prave agendi consuetudine, in naturam convertuntur. Hæc protoparentis crimine infecta, cum a iustitiæ, rectique pro-



(1) Super illa verba Ps.70. v.15. *Et usque in senectam, & senium Deus ne derelinquas me*, hæc habet S. Bruno Astensis, *quid per senectam, & senium, nisi ultimam senectutem, & vitæ terminum intelligimus? Tale est igitur, ac si dicat: ego quidem omni tempore pronuntiabo mirabilia tua: & tu omni tempore adesto adversus eos, qui audire nolunt mirabilia tua.*

posito, in quo condita fuit; exciderit, a sensu voluptatis abripitur, laborem refugit, & a virtutis tramite misere aberrat. Insuetus enim homo noxias cohibere cupiditates, quidquid oblectamenti offerunt, confestim voluntatem ejus dominantur, & ad omne nefas impellunt; carni enim pronus inservit, cum spiritu Dei agere nequeat, ejusque opera diligit, cum impar sit cœlestia sectari. An longa annorum series, qua fruitur, de divina liberalitate eum satis non admonet, ut reliqua omnia despiciens, ipsi supremo vitæ datori, pro tanto beneficio, honorem, perfectamque mandatorum præstet obedientiam? An ne umquam expertus es, quam suavis, & dulcis sit Dominus inquirentibus eum? Numquam ne audisti dictum a Christo: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam, & ei manifestabo me ipsum?* Jo. 14. 21. Nondum apud te tanta est experientia rerum, ut verum haud fatearis Evangelistæ Joannis monitum 1. Ep. 2. 16. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quod mundus transit, & concupiscentia vitæ*; adeoque insanum est, transitoria hæc, & caduca summo atque incommutabili bono anteferre. Cum aridum videas iuventutis florem, adolescentiæ robur extinctum, virilitatis pene consumptam mentis aciem, quod tibi restat operis, nisi viribus, quæ tibi supersunt, totis ad Deum incumbas, & ad ejus hereditatem comparandam enitaris?

Hæc agendo ætas senectutis vita redditur im-

immaculata Sap. 4. 10., quod de Deo cogitans, Deum diligens, & ad Deum adspirans, cuius acquisitioni proximus senex videtur, magna perfunditur voluptate. Cum memoria repetit superata mundi discrimina, cum sibi subiectam sentit concupiscentiam, compositos iracundiæ motus, perfecteque redditam spiritus tranquillitatem; hæc reminiscens, magna spe futuræ retributionis in cœlo recreatur.

Donec hic viatores sumus ad bravium percipiendum contendere debemus; quod solum perseverantibus usque in finem hoc pollicitum sit nobis, cumque perbreve sit tempus, quod ad laborandum conceditur; tanto magis alacriores, vigilesque virtutibus, optimisque exemplis demus operam, ut æterna mercede digniores inveniamur. Ex his colligi potest, qua insania, & impietate laborent qui in angustiis, & in ærumnis positi, ut ab iis evadant, sibi ipsis mortem infligunt; cum primum maximam iniuriam Deo vitæ largitori inferant, deque ejus misericordia superbe desperant, quod alterum est horribile crimen, venia omni indignum. Plene obcæcatos, obduratosque in pravitate eos esse oportet, quatenus non cogitant, neque credunt perpetuam infelicitatem, & teterrimam omnium malorum voraginem, in quam post obitum præcipites ibunt. Plerique ita moriuntur, quia in infidelitate, vitiisque perditi vixerunt, in quibus divina gratia destituti, relicti sunt. Malus eorum finis criminosæ vitæ est argumentum.

CA-

## CAPUT II.

*In lucrum maioris perfectionis reliquum vitæ tempus a senibus est impendendum.*

QUoniam apud Deum non de statu corporis, sed de animæ meritis iudicandi sumus, hac veritate monemur, pretiosum senectutis tempus, si Deus nobis indulgeat, in firmanda, augendaque animi bonitate esse impendendum. Quo magis Dei beneficiis opera nostra responderint, eo maiori remuneratione donabimur; e contra vero si in soccordia & inanitate tabescentes, easdem præteritæ vitæ cupiditates foveamus, aut sanctiores mores nostros non reddamus, ingrati Deo immerentesque eius bonitatis efficimur. *Illa enim est*, inquit auctor epistolæ ad amicum ægrotum (1), *de viro perfecto. Vera vita, vita veneranda, Deum nosse, timere eius potentiam, amare pietatem, mundum in opifice mirari*. Dei igitur cognitio sit præcipuum senectutis studium & quoniam Deus infinitus, immensus, æternus est, mens antem nostra angustis admodum limitibus coarceatur; quo plus in fonte bonitatis illius, & excellentiæ immergimur, eo amplius desiderio maioris cognitionis incendimur. Quare sicut sapientiam eius omnibus in operibus admiramur, & potentiam in tot, tantisque creatis rebus agnoscimus, hæc timorem, & amorem nobis ingerunt, ut

(1) In append. opp. S. Maximi Ep. Taurin. edit. Rom. pag. 125.

ut pietati, & dilectioni erga eum impense inhæreamus. His duobus veluti alis ad maius pietatis incrementum vehimur; timor enim Domini, ut docet Sapiens Eccli. cap. 1. non solum expellit peccatum, sed ad gratiæ plenitudinem disponit & ipse D. Paulus fatetur, se sine caritate nihil esse. 1. Cor. 4. 2. Quoties anima percipit, a magnitudine Dei, et misericordia quidquid habet, accepisse, novit etiam huiusmodi divina munera non ipsi collata, ut otiosa relinquat; sed ut fideli eorum usu melior, sanctiorque fiat. Sollicitus ergo iustus non tam cavet, ne quid indignum, aut reprehensibile agat, sed omnem impendit curam, ut quidquid bene placitum est Deo operetur, in iustitia crescat, & thesauros fidei, & mansuetudinis promereatur. *Sapientia* enim, *& disciplina timor Domini*, inquit Sapiens Eccli. 1. 34., *& quod beneplacitum est illi fides & mansuetudo, & adimplebit thesauros illius*. Et quæ nam est tanta munerum elargitio? Iam in Christum redemptorem crediderant, qui eum sequebantur Apostoli; nihilominus ad maiorem fidem adspirantes Dominum pro ea supplicaverunt. *Adauge nobis fidem*. Luc. 17. 5. Plura enim donec sumus hoc in mundo, cum firmitati fidei adversentur, quod falsarum opinionum, errorumque colluvies undique nos circumveniat, in catholica veritate tamquam in immobili petra stabiliamur, oportet.

Sapientes seculi profecto, magis quam simplices homines hac fidei firmitate indigent; præcipue cum in proximo vitæ exitu se videant consti-

stituti; vehementioribus enim dubitationibus eo in statu aguntur, præsentisque etiam mortis terrore obfuscati, nisi suasionibus multis adiuventur, a fide deficere periclitantur. Adversarius enim noster diabolus in extremo vitæ discrimine omnem adhibet calliditatem, ut qui olim variis, & peregrinis doctrinis abrepti fuerint, rursum in conflictum redeant, mentemque eorum tenebræ, & ambages multæ obsideant. Scientia, quæ non est Sanctorum, sed seculi philosophantium inflat, id est, arrogantiam inspirat, intellectum ab obsequio erga Deum veritatis auctorem avertit, & in infidelitatem miserrime pertrahit. Humilitatem ergo docti senes imprimis profiteantur, dicente Domino per Isaiam 66. 2. se contritos spiritu, & trementes sermones suos respicere; id est eos sustinere, ne insurgentibus tentationibus a fide deficiant.

Huiusmodi sui ipsius demissio senibus est etiam valde utilis, ut iusti, mundique corde serventur; nam & si a vehementioribus quibusdam cupiditatibus sint immunes; attamen, ut D.Hieronymus Ep.30. Pammachium monet: *Patitur quidem & senectus incentiva vitiorum.* Primas eorum causas cognoscere oportet, easque penitus removere, ne scintilla aliqua suboriens emortuos veluti cineres reviviscere faciat; & quamvis incendia excitare nequeat, interiori iustitiæ, & castimoniæ plurimum officere potest. Haud ignoro quæri aliquos, se ea invitos perpeti, funestasque sibi esse transactæ vitæ reliquias; adeoque cor suum perpetuo in agone versari, in-

incerti an satis subripientibus motibus se opponant . Quid? Nesciunt ne isti præsidia, quibus uti debent, ut innocuum animum custodiant, & in conflictu non succumbant? Justorum est de se semper trepidare, suis viribus non confidere, sed suam confitentes infirmitatem, enixe divinum deprecentur auxilium, corpus suum castigando in servitutem redigant, mentemque sacris meditationibus exerceant.

Nos profecto ad hanc contentionem hortatur S.Anselmus Cantuariensis: *Sit*, inquit, *quotidiana, immo continua in animo tuo rixa, ne quodlibet malum cum vitiis retineas. Districte te ipsum semper examina, secreta discute, & quidquid in te reprobum inveneris, rigida animadversione percute, prosterne, contere, extirpa, proiice, & ad nihilum redige. Ne tibi blandiaris, non tibi parcas &c.* Medit. 1. n.27. Hæc pro Religiosis viris & doctis scribo; hi etenim cum ad gravem ætatem pervenerint, exleges proprii instituti se credunt, plura pietatis opera omittunt, plura munia refugiunt, plures sanctas exercitationes negligunt, quibus vegetiorem spiritum reddere valerent. Nolo tamen ut assuetis studiis valedicant; æquum est, ut iis oblectentur, & posteris prosint; vehementer autem cupio, ut ad virtutum perfectionem præcipue adspirent. Huiusmodi enim eminentiorem sanctitatem in ingressu ordinis sui sibi proposuerunt, pro hac vota solemnia emiserunt, sanctissimasque leges explere polliciti sunt; videant coram Deo, an his obligationibus satisfaciant.

CA-

## CAPUT III.

*Quæ virtutes præcipue senectutem exornant.*

QUælibet hominis ætas habet aliquid, quod ei conveniat, eamque præstantem reddat. Conditus enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei, ita natura comparatus est, ut in quolibet vitæ suæ statu proficiendo divini Conditoris admirabile opus præseferat. Cum de senibus hic tractatum instituerim, virtutes senectuti decus, & honorem conferentes expendamus. Quidquid animum perficit, virtutem dicimus; virtus enim est habitus faciens hominem bonum habentem se, adeoque quot modis excellentior fit, tot virtutibus ornatus coruscat. Has inter quædam sunt, quas maturior ætas sibi poscit; & sanius consilium, diuturnamque rerum experientiam secum quodammodo adferunt. Prudentiam nominabo, patientiam, mansuetudinem, abstinentiam, beneficientiam. Prudentiam, quam rectam agendi rationem definiunt Philosophi, omnium etiam virtutum magistram, & condimentum dicunt. Senes ergo eam individuam comitem habere studeant; tanto namque maior honos, & dignitas eis accedit, quo ætate ceteros antecedentes, si sapienter omnes actus suos moderentur, præclarum integerrimi animi exemplar præstabunt. Quantus igitur splendor senes excipiet, quoties sapientiora præbeant consilia, candore animi eniteant, sermonibus suis erudiant, totamque vitam recte, sancteque composi-

posi-

positam ducant? Fateor equidem, ut hæc assequamur, magnæ firmitatis nobis opus esse; in tanta enim versamur hominum varietate, tot vicissitudines parit mundus; ipsa conditio nostra tantis nos aggreditur ægritudinibus, ut a sola patientia adversitatum victoriam obtineamus. Hoc præclaro documento Christus Dominus discipulis suis animos indidit, ut strenue mala omnia perferrent; cum dixit Luc.21. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Afficiatur licet corpus multis ærumnis, mentem tristes invadant cogitationes, nulla effulgeant auxilia, omnia conspirent in dolorem carnis, & in afflictionem spiritus, superabundabit in nobis gratia Dei, si patienter sustineamus. Hæc confirmans Apostolus Corinthiis scribebat 2.Ep. 4. 16. *Licet is, qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti momentaneum est, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Idem Apostolus Hebræos, quos ad fidem Christi adduxerat, atque in illa perseverantes peroptabat, admonuit, ut adversa cuncta, quæ eis obviam fierent, fortiter superarent. *Patientia*, inquit, *vobis necessaria est, ut reportetis repromissiones*. Cap. 10. 36. Utinam ad promissam gloriam, quæ revelabitur in nobis, oculos intentos haberemus, perbreves passiones sustinere non tæderet! Utinam despectis temporalibus bonis, quæ videntur, ad æterna, quæ non videntur, animum convertamus! Omnes, qui vivunt,

vunt, hoc in agone versantur; at senes proximiores sunt ad bravium assequendum; ideoque lætum contentionis finem obtinebunt.

Ubi autem in senibus patientiæ habitus regnat, ab eodem fonte mansuetudo dimanat; cum mitis suavisque indoles non est nisi in corde ab iracundiæ motibus prorsus alieno. Tanta enim excellentia in mansuetudine refulget, ut Christus Dominus se eius dixerit præceptorem Matth. 11. 19. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*; & quamvis aliarum virtutum omnium doctrinam tradidisset, mansuetudinem tamen præ ceteris dilexisse videtur. Studeant ergo huic virtuti senes, abstineant ab æmulationibus, ambitum, quo irritatur animus, caveant, omnibus officia comiter præstent, benignitatem prosequantur, hilaritatem, quæ est bonæ conscientiæ testimonium præseferant; sunt enim Spiritus sancti præclara munera, quibus nihil præstantius haberi potest. *Si spiritu vivimus*, docet nos Apostolus ad Galat. 5. 26., *spiritu, & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

A mansuetudine hæc altera oritur virtus, nempe abstinentia, siquidem tranquillus pacatusque animus illis inesse nequit, qui se continere nesciunt, & a quocumque cupiditatis flatu efferuntur. Hanc veritatem ipse novit Poeta: qui dixit: *In culpa est animus, qui se non effugit umquam*; quot enim desideria amor noster in nobis excitat; quot ad voluptatem incitamenta oculis obversantur, quot exempla ad iucundiorem

diorem vitam nos provocant? Fieri ne potest, ut solutis cupiditatis habenis pacem, & tranquillitatem habeamus? Quomodo non continentes, iracundiæ, contentionis, vanitatis, & simulationis fluctus compescere valebimus? Abstinentiam igitur summopere diligamus, non tam ciborum, qui noxias causant affectiones; sed multo magis vitiorum, quæ offendunt caritatem, gaudium societatis contristant, memoriam beneficiorum obliterant, lites incendunt, vitamque infelicem reddunt. Parcere etiam debemus his solatiis, illisque spectaculis, quibus non dedecet iuvenes interesse; tempore nostro melius utamur; in reliquo, quod nobis conceditur, caveamus, ne quid seducat cor nostrum, omnique cura ab hoc seculo immaculatos nos custodiamus.

Inter virtutes, quibus diximus senectutem exornari, beneficientiam recensuimus, quæ liberalis est bonorum, & gratiarum effusio in amicos, & proximos. Cum enim Deus sit erga nos beneficentissimus, si largitatem & beneficientiam, quibuscumque possumus impartiamur, imitatores eius efficiemur. Vix homo capax est divini mandati proximum diligendi, ad beneficientiam excitatur, monente Evengelista Joanne 1. Ep. 12. 18. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*; ideoque a dilectione sui similis nemo excusatur. Ipsa provecta ætas, cum manifestum sit divinæ bonitatis argumentum, tanto magis adigit senes, ut prompti, ac liberales se se in benefaciendo ostendant, & gaudeant sibi

adhuc

adhuc concessum tempus, quo apud Deum, & homines optime mereantur.

Quæ autem ratio habenda sit in erogandis beneficiis a Seneca docemur. *Primo*, inquit, *demus necessaria*, *deinde utilia*, *deinde iucunda*, *utique permansura*. de Benef. lib.1.cap.11. Necessitas se se manifestat cum alterius vitam periclitari videmus, aut careat alimentis, aut opprimatur ab hoste, aut ipse in summum discrimen ægritudine, vel insidiis venerit. Infelix eius conditio quemlibet movere debet, ut confestim ei subveniat, quosque potest modis opituletur. Si enim talem videret in via Sacerdos, aut Levita præteriret, graviter contra caritatem delinqueret, interitusque eius reus fieret. Sed quamvis occulta foret necessitas, mihi autem cognita, non excusarem a culpa, quoties dissimularem, eumque mœrentem, dolentemque relinquerem. Paveant Dei iudicium qui divitiis, commodisque affluentes in superfluis vanisque sumptibus magnum auri pondus obterunt, vel avaritia laborantes nullum publicæ, aut privatæ indigentiæ præstant auxilium. Non refert, quod hic præceptum referam faciendi eleemosinam his, qui compotes sunt: iam satis id costat, & senibus vix aliquid superest, quo peccata iuventutis redimant; nisi enim in egenos liberales fuerint, Dei misericordiam non obtinebunt. Ad beneficia spectat non tam necessaria, sed etiam utilia liberalitatis opera impendere, quæ ad publicum vel privatum conferunt emolumentum. Huiusce generis sunt litterarum studia, artes, publica commoda,

moda, in quorum incrementum, & conservationem si quis æs suum, vel industriam collocaverit, optimus facultatum suarum dispensator, & reipublicæ amator videbitur. Nihil profecto dignitatem, aut opulentiam alicuius magis exornat, quam si ingenium aliquod in paupertate natum excolere curaverit, si tyrones artifices adiuverit, si aliquam facultatem suam in patriam invexerit, si quæ iam vigent, perfectiores reddiderit. Hoc de patrocinio quondam Florentini proceres gloriabantur, qui a litteratis viris, quorum ipsi auctores fuerunt, summis cumulati laudibus, clari, & illustres æternum nomen sunt consecuti. Eamdem gloriam plures Romani Pontifices, & Præsules sibi promeruerunt, & nostra hac ætate nonnulli maiorum suorum gloriosa vestigia consectantes, per universum orbem, ut patroni litteratorum, & ipsi litterati celebrantur. Quid autem iis reliquum est, qui cogendo auro tota vita insudantes, ne lapidem quidem, cui nomen inscriberetur, meruerunt? Horum memoria periit cum sonitu, eorumque thesauri heredum fastui, aut lautiori mensæ inservientes, vel dispersi, aut alio deportati nihil ad publicam contulerunt utilitatem. Hos ego puto non suis meritis, sed fortunæ aura ad splendidas dignitates elevati, sicut ne prima quidem scientiarum limina salutarunt; ita doctos homines vel agnoscere contempserunt, vel agnitos vulgaribus pares fecerunt. O genus viventium iners, bonis odio habitum, patriæ inimicum, quorum inhonoratus interitus, nisi ut vituperetur, commemo-

memoratur! Fateor sane quosdam invitam in studiis expertos Minervam eius ædibus valedixisse; verum nobiles animo ad iucunda beneficia utique mansura se dediderunt. Delectant equidem cives, & exteros domus eleganter extructæ, aquæductus publicis fontibus nitidas undas adferentes, balnea, theatri, ludi etiam, dies festi, bene stratæ viæ in civitate, in arvis arbores consitæ, rusticationes quibus honestæ animi relaxationi, & iucundæ societati prospexere. Fateor non omnes de omnibus beneficiis mereri posse; sed ea non denegent, quæ conferre valent. Qui iam maiorem vitæ cursum transegerunt, & suæ consocii parsimoniæ, parum aut nihil in aliorum salutem contulerunt, suæ primum æternæ saluti, deinde etiam bono nomini consulant, ne vacui meritis, vel despecti ab hoc mundo discedant.

## CAPUT IV.

### *Qui defectus in senectute vitandi.*

QUÆ apud veteres de senibus ferebatur opinio a Cicerone lib. de senectute traditur. *Sunt morosi*, inquit, *& auxii, & iracundi, & difficiles senes: si quærimus etiam avari*. Morositate ergo, nimia sollicitudine, seu anxietate, iracundia, indocilitate, & avaritia etiam laborantes ætate longævi hos defectus cavere debent, ut iucunda sit ipsis vita, amabilisque eorum societas. Quidquid communem agendi modum offendit, ægre fertur; cum tædium molestiamque

que pariat, his præcipue, qui in pluribus occupati, otium pro maximo damno habent. Si tarditas a corporis infirmitate oriatur, ab eodem Cicerone excusabilis dicitur; non autem si a torpore, vel ab assueto res protrahendi habitu; tunc sane cum defectus sit in voluntate, non in viribus, condemnatur. Videant ergo senes quibus cum agunt, & sollicitiores fiant, ut domesticorum, amicorumque comitatem, & dilectionem nanciscantur. Ut ab aliquibus senibus morositas est corrigenda; ita ab aliis anxietas, & nimia sollicitudo vitanda est. Putant enim sibi iniuriam fieri, si quid volunt, non statim assequantur; hinc queruli evadunt, nec umquam contenti, cum despici, atque illudi suspicentur. Hac de causa mirum non est, si infelices vivunt, si ab æstimatione, & benevolentia suorum excidunt, suisque quærimoniis non ponentes modum, deseruntur. Facilis tamen est huiusmodi defectus correctio, vix iudicio, ac moderatione utamur, & animadvertamus, quod cum omnia nostra ad occasum vergant, haud parum obtinemus, si quod superest honoris, & consuetudinis amicorum, non amittamus.

Ast morositate peius vitium est ira in senibus, qua facile incenduntur dicto, aut facto aliquo provocati. Dedecet profecto senes ab animi firmitate deficere, leves, contemptibilesque se reddere, cum senectus non a canitie, sed a virtute ornamentum capiat. Ira mentem obtenebrat, internos motus turbidos reddit, qui in apertum erumpentes, honestatem violant,

amorem, & concordiam in odium, & dissentionem convertunt. Hortabor ergo iracundos senes verbis Senecæ lib. 1. de ira cap. 6. *Optimum est*, inquit, *primum irritamentum iræ protinus spernerè, ipsisque repugnare seminibus, & dare operam, ne incidamus in iram; nam si cœperit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil rationis est, ubi semel affectus inductus est, iusque illi aliquod voluntate nostra datum est.*

Sed putant aliqui moderandam iram, non tollendam; potest enim animus compescere excessum, & ad salutarem modum referre, addendo scilicet vim, & spiritum tarditati, ut actus promptiores, operioresque reddat. Hac in re dicam quod sentio; nempe segnitiem iracundia indigere, ut in agendo incitatior fiat, & iram, sive æstum a modestia continendum. In medio virtus commune est adagium; quare in alterutro excedere, vitium erit. Mihi tamen obiicitur vetus illa sententia: *festina lente*, sed ei oppono alteram; *quod vales hodie; noli expectare futurum cras*. Utraque tamen cum veritate conciliatur; ut si deliberatio præceps in alterius detrimentum caderet; tunc maturiori consultatione opus est; ubi vero facile est beneficium, aut muneris mei sit præstare aliquid, vel agere, omnis cunctatio gravis est, & molesta. Non a sapientia seculari; sed a divina hujusmodi documentum habemus Prov. 3. 29. *Noli probibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac: ne dicas amico tuo: vade & revertere: cras dabo tibi; cum statim possis dare.*

Ac-

Accusat Cicero præterea senes, quod sint difficiles; non de accessu ad ipsos hoc dixisse videtur; cum senes magis quam iuvenes plurimis egeant, præsertim si debilitate virium, aut morbo aliquo laborent. In moribus ergo hoc quærendum erit; hi propriæ addicti opinioni, se prudentiores credunt, aliena consilia despiciunt, cunctaque pro libito suo moliri fas sibi ducunt. Nesciunt ne divinum verbum, quod eis intonat Prov. 3. 6. *Ne innitaris sapientiæ tuæ: noli sapiens esse apud temetipsum*; quæ consilii capiendi hortamenta eos admonent, ne nimis sibi confidant? Nonne contingit inveteratos habitus, quos passiones dicimus, nos plerumque allucinari, quod falsam pro bono exhibentes speciem boni, potius quam veritatem amplectimur? Satis celebre est illud sapientis, se malle errare cum multis, quam sibi soli sapere; nihilominus senes difficiles sunt iuniores audire, eorumque suasionibus morem gerere; putant enim longævam ætatem omnisciam esse, & aliquid dignitatis amittere, si aliena monita æqui bonique faciant. Huiusmodi culti homines, qui tales se credunt, & vulgo habentur; suam plerumque opinionem, magis quam veritatem ab aliquo iuniore auctore invicte probatam despiciunt, eamque quamvis falsam deponere recusant. Quid ergo de his dicendum? Non eos vere sapientiæ alumnos appellabo; sed obcæcatæ mentis præiudicio laborantes deplorabo.

Si vero quid novi in moribus, in officiis, in cultu videant senes, vituperant, & se confor-

mari recusant, quamvis ceteri utilitatem agnoscant, & commodum referre fateantur. Hinc publica, & privata iurgia, & contentiones, quæ familiarum, & urbium pacem, & tranquillitatem subvertunt; hinc ipsis bonis artibus, industriis, sollertibusque novarum artium inventoribus adversantur, & in solita ruditate vivere malunt. At quare artes, facultatesque indies coluntur, nisi, ut magisque floreant urbes, opifices perfectiores fiant, eorumque opera maius emolumentum producant? Desinant ergo obsoletam vetustatem prædicare, novaque inventa suis dicteriis insectari, & si ipsi nullius adhuc operis auctores fuerunt, studio ac labore aliquid præstent, ut de patria, de republica, de religione mereantur. Facilis est vituperatio otiosis, & insipientibus obvia; sed qui viriliter, fortiterque agunt, eos despiciant, atque sapientiæ, virtutesque maiora præbere argumenta non desinant.

De avaritia etiam a Cicerone senes insimulantur; *& si quærimus*, inquit, *senes sunt & avari*. Inficiabitur nemo ab avaritia persæpe oriri indocilitatem illam senum, qua novis gestis, novisque adinventis opponuntur, quia aliquid dispendii ipsis affert innovatio, a quo cum maxime abhorreant, ab æruginosa antiquitate emergere nolunt. Jam supra cum liberalitatem commendavimus, cupiditatem, nimiæque parsimoniæ vitium senibus vitandum diximus; quare hic iterum de illo agere supervacaneum duximus, adeoque ad quintum caput progrediemur.

CA-

## CAPUT V.

### *Quid ad animi tranquillitatem conferat.*

DOnec hac vita detinemur, perfectam animi tranquillitatem concupiscere possumus, consequi autem non valemus. Sunt tamen aliqua, quæ ad eam nobis conciliandam quam plurimum conferunt, eaque a Cicerone præcipue indicantur; scilicet *Conscientia bene ante actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio*. De Senect. Nisi extinctum prorsus sit rationis lumen, divinorumque mandatorum deleta cognitio, continuo male gesta, perditaque pravis in oblectationibus tempora menti observantur, eam vehementer torquent dirisque stimulis concutiunt. Hoc est enim primum delictorum supplicium, cum eorum memoria, reclamante Synderesi, in acerbas angustias auctores coniiciat, nec umquam quiescere sinat. E contra vero qui in tramite iustitiæ ambulaverint, qui honestatem dilexerint, & nemini prodesse refugerint, cum ad occasum vitæ proxime accesserint, suavissima pace, & iucunditate recreantur. Non enim ab his cum inveteratis malis habitibus pugna gerenda est; quod Deum timentes, ab illicitis voluptatibus abstinuerint, & si aliquando humanæ cesserint infirmitati, & vitiorum sordes aliquas contraxerint, eas detergere solliciti fuerint.

Sed idem Cicero non minus Orator eximius, quam sapientissimus Philosophus eodem in libro de senectute, naturam, seu corporis qualitatem per-

perpendens, docuit quod sicut corpus ne consumatur, & destruaturque, alimento, aliisque præsidiis reficimus; ita mentis, animique vires, ne deficiant, oportet, ut sustineamus. *Nec vero soli corpori*, inquit, *subveniendum est*, *sed menti*, *atque animo multo magis*; *nam hæc quoque nisi tamquam lumini oleum instilles*, *extinguuntur*. Cum terrestris habitatio hæc ćalamitatibus, & ærumnis abundet, atque veteribus novæ semper superveniant, ne animus concidat, neve mens angore obruatur, beatiori, immo beatissimæ vitæ hanc post perigrinationem destinatos nos esse cogitemus; quo lumine perfusi intelligimus perbreves huius temporis passiones numquam interituram nobis parere felicitatem. Cum perceptio intellectus perfectior sit corporis sensu, quoties ad futuræ gloriæ revelationem erigimur animoque eam versamus, levia fiunt hæc adversa, & sævientibus licet hoc in mundo malis resistimus, & dulci spe divinæ retributionis consolamur (1). Hæc tanta erga nos Dei dignatio cum vehementer sancta caritate animam incendat, eam admirabili quodam impulsu ad Deum effert; ut iuxta D. Thomam, magis sit illa ubi amat, quam ubi animat. Nequeunt verbis exprimi deliciæ illæ, quæ a Deo summo bono in diligentes descendunt, & quidquid pro eo carnis vinculis illigati patiuntur, in gaudium vertitur, & iucundita-

---

(1) His, aliique argumentis D. De Crousaz RR. Accademiarum Parisiensium Socius Pope specimen super hominem validissime refutavit. Vid. eius examen Lausonii edit. 1737.

tatem. Testes sunt innumeri pene SS. Martyres, qui super rogos, & equuleos extultantes Deumque benedicentes, nihili tormenta illa faciebant, quod apertos cœlos viderent, immortalem gloriam accepturi. Fateor equidem non nisi summe perfectos felicitatis illius participes fieri; verum minus perfectis non desunt opitulationes, quæ ab ipsis bonis operibus veniunt. Si enim exiguo contenti vivant, si nemini causam offensionis præbeant, si innocentiam, ut pretiosum thesaurum custodiant, si omnibus officia, argumentaque honestatis præbeant, si denique beneficiis beneficia rependant, animi tranquillitas, & consolatio quanta erit?

Ab errore, dicam potius a pravitate cordis excusari nequeunt Philosophi illi, qui summum bonum non in virtute, seu honestate, sed in voluptate collocabant; cum hæc nullis modestiæ, iustitiæ, ac temperantiæ legibus coerceatur, infinitam quodammodo malorum seriem secum adferat. Quidquid hominem allicit, & ad excessum, & intemperantiam pertrahit tales acquirit vires, ut nihil amplius eum continere valeat. Cognoscat licet ordinem a Deo humanis actibus præscriptum, rectæ etiam rationi illum consentaneum prospiciat, atque in divinis mandatis expressum habeat; nihilominus adeo vehementes sunt voluptatum illecebræ, ut si quis viridi in ætate non se abstinuerit, ea senescente, non superabit. Assuetus enim in omnibus sibi indulgere, posita transgrediendæ virtutis limites consuetudine, ab illa abripitur, & ubi fomentum de-

delectationis offertur, consensum quamvis vetitum non negabit. Hac tanta incontinentia dominante, quot animus perturbationibus dominabitur? quia cum nihil habeat mundus, quod plene satisfaciat, & longus usus fastidium etiam pariat, ab una, ad aliam se convertens voluptatem, semper in contentione erit, desidero æstuans felicitatis, & numquam ab infelicitate resurgens. Qui vero innocens vitæ scelerisque purus proclivem in vitium non sentit naturam, virtutis pulchritudine, bonoque delectatus, ad eius apicem adspirat, & quamvis in labore ac studio sit ipsi vigilandum, labores ipsi, vigiliæque tranquilliorem, beatioremque vitam efficient. Respiciens enim homo Creatorem, ad cujus imaginem factus est; quanto magis similitudinem ejus in se repræsentabit; tanto magis spiritu pacis, & tranquillitatis cumulabitur, cum Deus sit pax nostra, quæ exsuperat omnem sensum, & custodit corda nostra, & intelligentias nostras. Philip. 4. 7.

Neque parum iucunditatis sapientum virorum confert probatio, bonum enim nomen, cum melius sit, quam divitiæ multæ, cui compertum erit, apud honestos homines, virtutisque deditos illud obtinere, satis muneratos labores suos reputabit. Quamvis fortunæ bonis destitutus vixerit, quamvis nullis dignitatibus auctus, quamvis privatus, ac pene oblitus fuerit; attamen si doctrina, morum candore, & benefactis claruerit, sicuti vivens in æstimatione erit; ita post mortem nulla de eius laudibus ætas conticescet.

Ab

Ab æmulatione, aut invidia iustus, & sapiens non numquam conflictatur; sed in sancto proposito permanens videbit sagittas parvulorum fieri plagas eorum. Securior est dicacitate honestas, atque amabilior; adeoque si mali aliqui eam oderint, si eam insectentur, plures non deerunt boni, qui ei patrocinium, & tutelam præstabunt. Gaudeant itaque senes, qui cognita diluculo virtutis, & honestatis excellentia, luce eius ut ornarentur, a vitiorum sordibus se abstinuerunt, qui illustriora sectantes exempla insidias, & callidas nequitiæ artes superarunt. Non salutem, non tempus in nugis, pravisque oblectationibus traductum lugebunt; sed memoriam bene anteactæ vitæ repetentes, parato, lætoque animo extremum diem præstolabuntur. Poterunt igitur longævi ætate gratulari noxias vicisse cupiditates, & impavidos morti occurrere cum Seneca dicentes: *Ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute ut bene moriar*. Ep. 61. lib. 1.

## CAPUT VI.

*Quibus actibus frequentius excolenda sit pietas.*

CUm homo constet anima & corpore, carne scilicet ac spiritu, vitæ utriusque quod æquum est tribuamus, oportet. Hoc quælibet ætas a nobis efflagitat; sed fine terrenæ huius mansionis appropinquante, magis incumbendum

dum est ad profectum spiritus, quam ad fovendam carnem. *Carnem saginari*, scribebat Tertullianus ad Martyres, *& spiritum esurire non prodest*; illa enim brevi est relinquenda; hic autem de actibus suis bonis, vel malis est iudicandus. Provide ergo, ac sapienter, ut idem Tertullianus docuit, dispositum est, quod ex quo senilis ætas a multis oblectamentis abstinere cogitur, non iacturam, sed beneficium hoc agnoscat; quippe sanctis impensius operibus vacare potest, atque perfectior effici.

Studeant imprimis senes frequenter preces apud Deum fundere, ut delicta iuventutis, & ignorantias eis dimittat, suamque gratiam largiatur, qua voluntati eius omnino conformentur, eamque super omnia diligant. Tribus instrui caritatem docet Apostolus ad Timoth. I. Cap. 5., scilicet, quod *veniat de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Quid refert puritas cordis? Candorem intentionis, simplicitatem, integritatem; nihil moliatur, nisi quod iustum, Deoque placitum est. Hinc oritur bona conscientia, quæ nihil nisi rectum concupiscit, eiusque possessione delectatur;quæque a fide non ficta, sed sincera ac solida maiorem excellentiam accipiat. Cum fides maximum sit Dei munus, totiusque spiritualis ædificii fundamentum, humanus consensus mysteriis revelatis non sufficit; verum tota mentis adhæsio requiritur, ut pro ea, si oporteat, vitam, & sanguinem profundamus. Hæc veros Dei filios nos constituit, hæc voluntatem incendit, ut ei libenter serviamus, hæc nos

nos ducit ad coronam, quam nobis Dominus in misericordia, & miserationibus largiturus est.

Multo etiam ferventior redditur pietas rerum divinarum lectione ac meditatione; quoniam persæpe legem Dei ab oculos habentes, & meditantes, aut numquam, aut raro delinquimus. Propheta regius Psal. 1. beatum appellat virum, cuius voluntas est in lege Domini, eamque die, ac nocte meditatur, adeoque viam peccatorum declinat, nec sedet in cathedra pestilentiæ, id est pravam doctrinam non profitetur. Adsimilatur enim ligno, quod plantatum secus decursus aquarum, quod dabit fructum in tempore suo; eius si quidem folium non defluet, & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. His sanctissimis monitis S. Hieronymus Ep. 20. lib. 2. Cleantiam matronam Romanam hortabatur, ut sacræ lectioni operam daret, a qua pie sancteque vivendi regulam sumeret. *Præcipue*, inquit, *tibi cura sit, legem nosse divinam, per quam possis quasi præsentia cernere exempla Sanctorum, & quidquid faciendum sit, quidve vitandum illius consilio discere. Maximum enim ad justitiam consilium est, implere divinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias, semper meditari.*

Huiusmodi sanctarum Scripturarum lectio, ac meditatio, non tam opportuna, quam necessaria præcipue illis est, qui totam fere vitam in studiis secularibus consumpserunt. Hi enim divina quamvis non ignorent mandata, spiritu tamen, affectuque eorum carent, & quodam in languore, atque segnitie excellentioris pietatis tor-

torpescunt. Usum frequentandi divina mysteria non habent, externum religionis cultum eo animo non exercent, ut Deo famulentur, sed ne irreligiosi, & increduli videantur. Falluntur si de pietate ita sentiunt, docente Apostolo, quod non auditores, aut lectores legis Dei iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Rom. 2. 13. Cum vero conferri hominibus iustificationem dicimus, plenam divinæ gratiæ largitionem intelligimus, initam cum Deo amicitiam, vinculum spiritualis unionis, pignus æternæ hereditatis. Si hæc dum commemoramus magna nos cumulant iucunditate; quanta erit lætitia, si frequenter ea meditemur; cum intellectus novis luminibus illustratus, ad altiores semper cognitiones contendit, atque in illis quam maxime delectatur. Sanctos meditationibus assuetos appello; nihil dulcius animæ esse fatebuntur, quam divinam contemplari bonitatem, qui tanta in nobilitate, & excellentia conditum hominem largioribus ad se pertrahit muneribus, quoties ipse ad iustitiam adspiret, totoque animo prosequatur. His affectibus in cœlum elevari gaudent iusti, iam ab hoc mundo alieni, divinique consortii cupidi aiunt cum Apostolo ad Philip. 1. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Hæc viris perfectis locutus, ad imperfectos me converto, eos adhortans, ut vitæ vespere superveniente, mundanis curis valedicant, Deoque totos se consecrantes, parati hinc discedere in extremo die inveniantur. Non tristes, sed læti morti occurrent, nec molestum eis erit suos relin-

linquere, a quorum affectu iam ante animum revocarunt. Contendant eleemosinis, dignisque pœnitentiæ fructibus peccata sua expiare; ne veniat tempus, quo fecisse desiderent, quod facere neglexerunt.

## CAPUT VII.

*Observantia legum Ecclesiæ cum senectute componenda est.*

NON hic congredior cum Theologis Casuistis, qui iam satis a gravissimis Scriptoribus profligati sunt. Non terrere senes mihi propono; sed nec nimium eis indulgens ero; dicam enim quæ spiritui Ecclesiæ magis consona mihi videntur. Certum imprimis est Ecclesiam a Christo Domino tenere auctoritatem condendi leges, fideles sub gravi culpa obligantes. His ex legibus aliquæ directivæ sunt, aliæ cæremoniales, & aliæ pœnales. Priores designant ordinem, quo Sacramenta administrari ac recipi debent, quorum ianua est Baptismus: secundo veniunt sacræ Scripturæ, quas Ecclesia divinas declaravit, fidemque certam faciunt: tertio canones, & doctrinas ad dogmata, & mores spectantes. Secunda classis legum, quas cæremoniales appellavimus, sunt ritus, & consuetudines ab Ecclesia indictæ, aut receptæ, quibus sacrorum administratio præscripta est, cultus externus erga Deum, & Sanctos moderatur, & pietas in bonis operibus exercetur. Nulli pariter fas est hisce præceptis

ceptis refragari, sed omnibus tamquam filiis obtemperandum est. Restat ergo, ut de legibus pœnalibus disseramus.

Quilibet Christianus sive innocens, sive peccator habet unde saluti suæ consulat. Quamvis per Baptismi regenerationem reatus culpæ originalis deleatur, & habitum iustitiæ induat baptizatus, atque sacramenti virtus naturam humanam per peccatum læsam plurimum in bono restauret; nihilominus manente in nobis concupiscentia, ad peccatum omnes inclinamur; de iusto enim legitur, quod septies in die cadit. Hæc quamvis de levibus culpis dicta sint, ostendunt tamen hominem in gravia peccata prolabi posse; *tentatur* enim *unusquisque*, ut ait Jacobus Apostolus Ep. 1. cap. 1. 14. *a concupiscentia sua abstractus, & illectus*; quare ne delinquat, oportet, ut semper contra eam bellum gerat, ieiuniis scilicet, vigiliis, alioque pœnarum genere coerceat, atque refrænet. Ipse enim D.Paulus, quamvis vas electionis factus, & singulari gratiæ plenitudine præditus de se dicebat 1. Cor. 9. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar*; (1) adeo verum est ipsos iustos, & innocentes ab affligenda carne sua cessare non debere. Nemo sane iustior, & san-

(1) D.Hieronymus Ep.13. lib.2. ad Rusticum Monachum, de Paulo ita loquitur: *Vas electionis in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subiicit servituti; & tamen cernit naturalem carnis ardorem sua repugnare sententia.*

sanctior fuit Jesu Christo qui erat sanctitas ipsa, & iustitia; attamen ab ortu suo, usque ad mortem, totam vitam patiendo transegit, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius. Si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam Luc.24. 26. tanto magis eadem via ab omnibus fidelibus etiam iustis tenenda est, ut compatientes eamdem beatam æternitatem promereamur. Ecclesia igitur fidelibus suis universis abstinentiam a carnibus, & ieiunium in Quadragesima, aliisque diebus præscribit; certas item preces, & religionis actus assignat, quibus vult, ut in timore, & amore Dei exerceantur. Multo magis ad illos incumbit, qui iustitiam in Baptismate acceptam amisisse conscii sunt, atque promissis in eo factis non stetisse, quibus indicta est a Domino terribilis illa sententia Luc.13. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*. Hæc, quamvis notissima, præmissa feci, propositam præveniens quæstionem; scilicet, utrum qui ad senectutem pervenerint ab observantia legum pœnalium excipiantur.

Laxi quidam Theologi, nescio qua auctoritate, quove fundamento docuerint, fideles cum sexagesimum ætatis annum attingerint, a ieiunio exemptos esse. Quam facili negotio refutentur, confestim perspicimus, vix meminerimus primo, unumquemque Christianum toto vitæ suæ tempore Ecclesiæ mandatis parere debere, nullam enim ætatem post infantiam Ecclesia excipit, atque immunem a legibus suis declarat. Secundo cum senilis ætas non libera sit a peccatis;

tis; sed plerumque vel ex infirmitate naturæ, vel ex inveteratis malis habitibus in eadem recidat, pœnarum satisfactiones pro illis expiandis sunt necessariæ. Tertio, etiam si rarius, aut nunquam graviter senes dilinquerent, semper eis vel pro præteritis reatibus, vel pro minoribus culpis est pœnitendum; docente D. Thoma Supplem. 3. p.q.4. ar.1. totam vitam nostram esse contritionis tempus; ac proinde cum de peccatis semper nobis dolendum sit, opera quidem non intermittere debemus, quibus his satisfaciamus. Quarto, nonne senes proximiores sunt ad reddendam Deo rationem? Quid amplius ergo expectant uti mediis omnibus quibus propitiam sibi reddant divinam sententiam? Forsan illis blanditur vulgare dictum, Ecclesiam gravi cum incommodo non obbligare? Iterum monemus: legem nisi legislator ipse relaxaverit vim suam retinere; ideoque refractarii inobedientiæ culpabiles fiunt. Benigni autem auctores aiunt, in canitie attenuatas esse corporis vires, pluribusque incommodis subiici quare senes a lege ieiunii, & ab abstinentia a carnibus sunt absolvendi. Verum quidquid hujusmodi Theologi senserint, præstat Ecclesiæ legi obedire, quæ semper obbligat eo modo quo observari potest. Illi ergo, quibus cordi est salus æterna, qua gaudent valetudine, perpendant, & consilio docti, ac bene morati medici, vel totam, vel partem legis adimpleant, ne coram Deo infractores appareant, & damnentur. Ipsa nos mollities illudit, nimioque timore lædendi salutem efficimur

mur pati aliquid, & mortificare gulam refugimus, nec copiosis exquisitisque cibis vetitis stomachum gravare veremur, quorum abstinentia salubrior & utilior foret. Non solum qui in seculo vivunt, sed qui etiam in claustris hanc dispensationem sibi licitam faciunt, non parcentes multis assiduis ac laboriosis operibus multo magis ætati suæ repugnantibus. Amicorum mensas omni ciborum genere conditas frequentant, non verentes scandalum, quod ipsis præbent; cum & iidem contemptores Ecclesiasticarum legum videantur, qui ad perfectam observantiam exemplo suo excitare debuissent. Paveant ipsi, ne ab ira Dei exterminentur.

## CAPUT VIII.

*De conflictu spei, & timoris æternæ beatitudinis.*

Viris pietatem excolentibus adloquor, iis nempe, qui non nomine tenus, sed operibus præstantes sunt Christiani. Spes nulla salutis affuglere potest deliciis, voluptatibusque mundi deditis, non solum quia nihil egerunt, sed multis pravis gestis æternæ damnationis rei se constituerunt. Forte hi incredulitate laborant, quorum fides vitiis obtenebrata, promissa justis præmia post mortalem vitam nec credunt, nec sperant, adeoque regnum cœlorum, ut incognitam possessionem omnino despiciunt. Si hujus desiderio aliquando moverentur temeritate delinquerent, qui inter innocentes, & sanctos cooptari præsume-

sumerent, quamvis a virtutibus, quas illi tanto studio ac labore prosecuti sunt longe aberrarint. Quid istis timor sempiternæ amittendæ felicitatis? Quid sollicitudo præterita errata reparandi, cum novis semper excessibus peiores fiunt? Non mihi cum illis modo agendum est; sed his prodesse conabor, qui & si vitæ christianæ instituta explere studuerint, humanæ tamen fragilitati, & malitiæ seculi, cessisse aliquando meminerint, ingravescentibus annis, spem inter & metum misserime conflictantur.

Primum eos monitos faciam de maxima dæmonis calliditate, qui se nihil proficere noscens, si viro probo, & religioso turpia quædam, & vetita palam proponeret, formidinem inspirat, animum ipsis in operibus sanctis turbat & a spe divinæ misericordiæ abducere conatur. Sufficit ipsi conflictum excitare, perplexitatemque fovere; dummodo languorem pietatis, & divinæ bonitatis diffidentiam assequatur. Huic iniquo veteratori statim occurrendum est, certa, & inconcussa sacrarum Scripturarum ei obiiciens oracula, quibus infinitæ Dei misericordiæ nos inniti admonemur, eamque veluti anchoram nostræ salutis firmiter amplecti iubemur. Hanc plenus admiratione suspiciens Salomon exclamavit: *quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius clamantibus ad se!* Eccli. 17. 28., & regius Psaltes eadem ante cecinerat: *quoniam* inquit, *secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a no-*

*a nobis inquitates nostras. Quomodo misertus est pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniam pulvis sumus..... misericordia autem ab æterno, & usque in æternum super timentes se.* Psal. 102. 12. Apostolus item eamdem veritatem Ephesios edocens cap. 2. v. 4. commendavit: *propter caritatem, qua dilexit nos Deus, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia salvati sumus.* Plura alia testimonia omitto, quibus plane ostenditur, nos a dæmone decipi, cum a spe obtinendæ veniæ animum avocat, & in tristem formidinem non consequendi salutem, inducit. Ab his diabolicis insidiis ut emergamus, hæc veritas in nobis refulgeat, nempe, quod effusus pro humano genere universo Christi sanguis infinite meruit, pretiumque infinitum solvit, ut fieret ipse *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed pro totius mundi* 1.Jo.2.2. Nostrorum recordatio peccatorum, quorum nos pœnituit, ac de his continuo dolemus, spem infirmare non debet, nec caritatem extinguere, quam Deus effudit in cordibus nostris, scientes, ut inquit Apostolus ad Rom. 5. 9., *quod Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Qui de misericordia Dei, quam ipse tanta cum bonitatis suæ gloria manifestavit, diffidit; non verbis, factis tamen cum Cain dicit: *maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Genes.4.13.

quem maxime scelestum, & desperationis plenum Deus reprobavit. Nonne constant apud Ezechielem cap. 33. 12. Dei promissiones, quod *in quacumque die peccator conversus fuerit ab impietate sua, & egerit pœnitentiam, vita vivet, & non morietur, & peccata eius non recordabuntur?* Cur ergo ea quotidie mente revolvit, & dubiis dubia cumulans, discissum semper cor habet; ut partim cogitatum suum in Deum misericordem, & placatum iactet, partim timeat adhuc, eumque iratum putet?

Fateor equidem plures sanctissimos pœnitentes toto vitæ tempore peccata sua deflevisse; sed fletus ac dolor eorum non ex defectu spei oriebatur; verum ex vehementissima Dei dilectione, qua incensi gratiæ ejus miserenti numquam satis se respondisse cogitabant. Jesum Christum cruci affixum præ oculis etiam habebant, qui innocens & iustus tam immania tormenta pro hominum salute pertulerat; contemplabantur ergo eum tamquam exemplar, ut vestigia eius sequerentur (1). Animæ divino amori æstuanti passiones quælibet dulces fiunt, & quo purior patiendo efficitur, eo maiorem cœlestium gratiarum copiam sibi mereri confidit. Nulla umquam tristitia abripitur, nullum perturbationi locum in animo admittit, nihil eam moratur, ut ad altiorem perfectionis apicem contendat. Qui autem hoc sublime iter aggreditur, & in

(1) Vid. gesta S.Bernardi Abb. Claravallensis apud Fleurium lib.LXIX. obiit an. 1135.

& in montem Domini ascendere desiderat, ducem sibi imploret cœlestem Sapientiam, ut ei clariorem Dei cognitionem aperiat, qua eum non severum iudicem suspiciat, sed ut amantem, ac misericordem patrem complectetur. *Si quis indiget sapientia*, inquit Jacobus Apostolus 1. 5., *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem cum fide nihil hæsitans.*

Huiusmodi hæsitatio, quæ Petrum in mare pene demersit, postquam tutus super undas ambulaverat, Matth. 14. 30., plures ab alacri serviendi Dei voluptate ita deprimit, ut tepidi semper, & hæsitantes in bonis operibus inveniantur. Audio eos a me exposcere remedia, quibus huiusmodi spiritualis infirmitas curanda sit, compositoque spem inter & metum salutis æternæ conflictu, tranquillitatem animi assequantur. Primum, noverint amorem proprium, quo agitantur ad Deum convertere, eumque deprecentur, ut quæ sunt ei placita, faciant semper, etiam si adversa aliqua permittat. Secundo, sibi persuadeant se a Deo diligi, & in tribulationibus, & adversitatibus fidem & constantiam eorum probari, ut tanto digniores supernarum opitulationum inveniantur. Tertio, vix suboritur formidinis tentatio, eam solliciti repellant; quod si mentem occupare siverint, nimium difficile erit, ab eius vinculis liberos evadere. Quarto, precibus instent, ut Deus, qui ipsis largitus est gratiam, eius etiam virtutem abundare faciat, qua non solum a gravibus culpis, sed etiam a levi-

levibus abstineant. Quinto, nullam umquam ex consuetis sanctis exercitationibus omittant, sacramenta item de more frequentent; quod inimico nostro diabolo sufficit aliquid remissionis in pietate obtinere, ut sensim nos ad graviora omittenda inducat. Victores ergo de diabolicis insidiis, abiectoque omni mœrore, in lætitia Deo serviamus, scientes hilarem datorem Deum diligere, qui plus cor, quam opera respicit, & quo libentius, ac studiosius honorem, & servitutem ei præstant amantes animæ, tanto maiori sui dilectione eas incendit, suisque præclaris donis exornat. Vid. tract. de Scrupul. edit. Flor. an. 1754.

## CAPUT IX.

### *De dilectione Dei.*

Conditor rerum omnium sapiens, & admirabilis Deus cum singulis creaturis proprietates ad finem suum comparandum tribuisset, homini etiam, quem ad sui imaginem, & similitudinem condiderat, propensionem, ac indolem dedit, qua eum super omnia diligeret. Non enim solum spiritu intelligentiæ replevit illum, sed facultatem etiam impertivit, ut ad supremam causam seu principium a quo factus est, se converteret, eique adhæreret. Quem amorem dicimus, voluntatis actum intelligimus, quo Deum ut bonum in se ipso immensum, eumque ut finem ultimum nobis proponimus assequendum.

Donec

Donec in mundo vivimus nondum divina essentia, & natura perspicue nobis effulget, sed per speculum, & in ænigmate contemplamur; atque a primo protoparentis crimine læsam, corruptamque habentes voluntatem, terrena delectabilia inquirimus, & amplexamur (*). Maiori autem impulsu, vigentibus in iuventute viribus ad ea ferimur, & incitamur, quem æstum senilis ætas vel omnino compescit, vel remissum, ac pene extinctum reddit. Felices ergo senes, qui multo magis compotes sunt dilectionis divinæ, quod minora impedimenta eis adversantur, ut divino illo igne toti incendantur. Ipsi præceptum illud Matth.22.37. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* perfectius implere valent, quorum caro, & si contra spiritum concupiscat, a se-

(*) *L'animo, ch'è creato ad amar presto*
*Ad ogni cosa è mobile, che piace*
*Tosto che dal piacer in atto è desto.*
*Vostr' apprensiva da esser verace*
*Tragge intention, e dentr' a voi la spiega*
*Si, che l'animo ad essa volger face.*
*E se rivolto in ver di lei si piega*
*Quel piegar è amor: quel è natura*
*Che per piacer di nuovo in voi si lega.*
*Poi come 'l foco muovesi in altura*
*Per la sua forma, ch'è nata a salire*
*Là dove più in sua materia dura.*
*Così l'animo preso entra 'n desire*
*Ch'è moto spiritale, e mai non posa*
*Fin che la cosa amata il fa gioire.*
Dantes de Purgat. Cant.XVIII.

a senio debilitata facile abiicitur, atque in recta ratione continetur. Ipsi iam terrenarum rerum vanitatem experti sunt; quarum aliquæ iam penitus defecerunt, aliæ multo deteriores factæ brevi cum illis interibunt. Quid ergo in cumulandis thesauris laborant? Quid in aucupandis honoribus desudant? Quid tanto studio in elegantia, & fastu mundano apparere connituntur. Non ne stultitia hæc est, & deploranda deceptio? Erigant animum ad Deum, illum verum, & unum natura, & essentia bonum diligant, illum toto corde prosequantur; & sciant ejus dilectionis modum esse sine modo. Humillimas Deo gratias agant, quod adhuc eis præstat tempus transactæ ætatis iacturam reparandi; qua plus mundum dilexerunt, quam Deum, & fugacibus capti deliciis ad æterno bono longe facti sunt. Si autem ad Deum redibunt, sentient, quam vere dictum sit: *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Jo. cap. 4. 16., & quos seculi voluptates numquam satiarunt, caritas Dei gaudio omni, & voluptate replebit. At quid cœlestis amor requirit, ut cum fideli anima ineat societatem? Ubi sunt eius deliciæ, ibi divinus Sponsus habitat, testante eius Sponsa Cant. 6. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*; quæ simbola sunt innocentiæ & puritatis; omnem enim maculam præexcellentis huius virtutis, ipse horret, ac detestatur. Summa enim vigilantia delectatur cœlestis amans, eumque die, nocteque quærentes inveniunt,

niunt, & uberes dilectionis suæ fructus percipiunt.

Si forte illum amiserint, vel se ab eis elongaverit, non desides sint eum sollicite inquirere, vigiles, hoc est sanctos viros deprecentur, ut ubi suam moram faciat, eos moneant; & cum invenerint, non amplius dimittant. Divinum sponsum deprecentur, ut vox eius sonet in auribus eorum, & dura corda emollire faciat, ut unguentorum suorum odore, id est gratiarum munere ad se pertrahat, & indissolubili vinculo sibi coniungat. Sicut mors omnia solvit; ita perfectus amor amantem animam ab omnibus removere debet, ut dulciter, suaviterque sancta dilectione perfruatur; functoque in osculo Domini extremo die, ad sempiterna gaudia evehatur.

Hac spe alitur amor, hic est finis ultimus, ad quem iusti adspirantes semper in dilectione crescunt, donec promissam in cœlis Dei possessionem consequantur. ,, Verumtamen amor, ,, quem in nobis spes excitat, amor est quidem, ,, qui tendit ad Deum, sed ut inquit B. Franciscus Salesius tract. de amore Dei lib. 2. cap. 17. ,, ad nos reddit; respicit quidem divinam boni- ,, tatem; sed propter nostram utilitatem ad ,, summam illam bonitatem anhelat, nostram ,, profecto satisfactionem agit; verum non nos ,, effert in Deum, ut est infinite, & essetiali- ,, ter bonus in se ipso; sed quia erga nos sum- ,, mopere bonus est. Aliquid ergo Dei, & ali- ,, quid nostri hoc in amore continetur. Verus

,, ta-

„ tamen, & sanctus est amor iste; sed amor „ vocatur concupiscentiæ. Hic autem non totus „ in homine colligitur, ut propter nos tantum „ Deum diligere faciat; sed Deum etiam com„ plectitur, qui ex se summum bonum est. „ Avertat quæso Deus, ut aliter Deum diliga„ mus; quoniam anima, quœ non nisi propter „ se ipsam Deum diligeret, magni sacrilegii rea „ efficeretur; supremo enim Domino honorem, „ & venerationem ei debitam non exhiberet, „ sed sui tantum commodo satisfaceret. Hæc „ enim inter se maxime differunt; dicere enim, „ Deum diligo propter bonum, quod ab eo „ expecto, idem valet, ac si diceret, propter „ me Deum amo, quia est in se suprema, ac „ summa bonitas, mihi communicabilis; & „ amor sanctus foret; sed dicere Deum diligo, „ non propter se, sed propter bonum meum, „ hæc abominabilis impietas esset, quæ in Dei „ contemptum redundaret. „ Huc usque S. Salesius. Sacra utique Sponsa, ut in Cantica habetur, sæpius usurpabat: *Dilectus meus mihi, & ego illi: ego dilecto meo, & dilectus meus mihi: ego dilecto meo, & ad me conversio eius*; ut significaret quidem cœlestem Sponsum suum vehementi quodam amore prosequi, atque ab eo plenissimam gratiæ suæ effusionem recipere. Et revera postquam dixit Sponsa, divinum amantem in se ordinasse caritatem; hoc est divinam in se incendisse dilectionem; tanta capta est dulcedine, ac suavitatis plenitudine, ut vires, & præsidia flagitaret, ne amore languesceret:

*Ful-*

*Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo*. Cant. c. 2. Ecce magna cumulatum retributione Sponsæ amorem, quam decore, & pulchritudine a se ornatam ipse Sponsus admirans dixit: *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata?* Ibidem 6. 9.

Hic sane amor, qui totum sibi devincit cœlestem Sponsum, perfecta dilectio est, seu caritas, qua iustus, purus, & innocens summam in Deo agnoscens bonitatem, omniumque perfectionum thesauros, in eo immergitur, tantoque abripitur affectu, ut se penitus ei devotum, addictumque profiteatur. Si huiusmodi dilectionem amorem benevolentiæ, & caritatem appellamus, proprie indolem eius exprimimus, atque ab alio Deum diligendi modo secernimus, quatenus infinitam eius bonitatem credentes, speramus ab eo vitam in cœlis, æternamque caritatis nostræ retributionem. Huiusmodi dilectio amor concupiscentiæ dicitur, qui minus perfectus est amore benevolentiæ, totus Deo consecratus, eiusque purissimo affectu incensus. Prior primo tendit in Deum, & principium, & causa movens affectum est essentialis eius bonitas; alter vero motus ac tendentiæ vim accipit a Deo, & a se ipso, eo quod beatus & felix fieri sperat. Doctrinæ huius magistrum proferam D. Thomam 2.2. q. 23. art. 6.; ubi hæc habet: *Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur..... Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non*

*se-*

*secundum se ipsum; sed ut illud bonum ipsi sibi proveniat ..... primus autem amor pertinet ad caritatem, quæ inhæret Deo secundum se ipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere contendit.* Haud secus de duplici amoris in Deum natura sensit supra laudatus S. Salesius, & apertius discrimen exponit: „ Cur ergo, inquit, Theotime, Deum amore concupiscentiæ diligimus? „ Quia ille est bonum nostrum. Quando igitur „ dico supremo quodam modo nos Deum diligere, meamque felicitatem ex eo sperare, illum supremum, absolutumque amorem non „ contemplor; quoniam amor summus non est, „ nisi in caritate; spei autem amor est imperfectus, quoniam ad infinitam bonitatem minime tendit, ex quo perfecta, & excellens „ est in se ipsa. Cum autem talis Deus a nobis habeatur, videlicet, quia nobis est summe beneficus, non potiori, digniorique ratione movemur, quæ ex consideratione summi „ boni derivat; sed respectum nostrum adiungimus; nec obstat, quin Deum supremo amore prosequi dicamur. Nemo autem hac sola „ sui dilectione Dei mandata servare valet, nec „ vitam consequi æternam; quia affectus, quem „ præstat hic amor, oportet, ut secum additam habeat caritatem „. Hactenus S. Fran. Sales. cit. lib. 2. c. 17. Commendat autem idem auctor pluribus in locis spem, quam amorem concupiscentiæ appellat, quo, ut ultimo felicitatis nostræ termino Dei iungimur, atque ad eum

eum adspiramus, ad cuius possessionem conditi sumus (1). Sed hoc amore benevolentiæ amor, seu caritatis, multo excellentior est; cuius rationem assignat D.Thom.2.2. q.17. art.8. Præivit S. Augustinus, qui perspicue docet illum amorem, quo Deum ut summum bonum nostrum diligimus, caritatis prærogativam, sive excellentiam non habere. Inquit enim de Doctr.Christ. lib.1. cap.12. n.21. *Sed nec se ipso quisquam frui debet, si liquido advertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere; sed propter illum, quo fruendum est. Tunc est optimus homo, cum tota vita sua pergit ad incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad se ipsum conversus, non ad Incommutabile aliquid convertitur. Et profecto iam cum defectu aliquo se fruitur. Quia melior est, cum totus hæret, atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad se ipsum relaxatur.* Caritas ergo perfecta illa est, quæ in Deo diligendo tota consumitur, nullo alio bono movetur, quam illo in Deo cognito, cuius bonitas est ipsa eius essentia, neque addit aliquid eius dilectioni, sed Deus ipse sufficit. Hinc idem S.August. verba illa Ps. LIII. *Volunturie sacrificabo tibi*; ita exponit. *Voluntarie sacrificabo tibi. Quare voluntarie? Quia gratis. Quid est gratis? Et confitebor nomini tuo, Domine quoniam bonum est...* *Me-*

(1) Vid. confutationem Cassiani Ficini apud Nicodemum Balisardum §.5. edit. Veron. 1777.

*Melius non invenio, quam nomen tuum. Ideo confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* Eadem brevius dixit S.Bernardus lib. de diligendo Deo cap. 9. *Qui confitetur Domino, non quoniam sibi bonus est; hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se ipsum.* Verum de qua dilectione Dei tam diserte 1.Cor. 13. egisse Apostolum arbitramur? (1) De amore concupiscentiæ, an de amore benevolentiæ. De hoc sane, quia eum proprie caritatem vocat; illum a spe, & a fide discernit, atque super virtutes illas exaltat. *Maior autem horum est caritas.* 1.Cor.13 13. Deus enim a fide, ut summa veritas proponitur credendus; a spe ad plenum promissionum suarum effectum expectandum invitamur: a caritate autem ut summe bonus in se, & amabilis est, ad diligendum excitamur. De illa profecto caritate loquitur Apostolus 1.Cor.13.8., quam dicit numquam excidere: *Caritas numquam excidit*: in cœlis enim Beati neque fidem, neque spem habent; quia omnia ostensa sunt eis, omnique cælestium bonorum possessione fruuntur; & non solum in eis caritas manet, sed semper ardentior fiet. Quis igitur Apostolo, sanctisque Patribus unanimi consensu Deum amore benevolentiæ diligendum docentibus, non nisi amorem concupiscentiæ dari posse in terris affirmabit; cum secundario Deum hic amor respiciat, neque formaliter, ut aiunt

(1) Utor hac usitata, quamvis inadæquata distinctione, quæ ex vi verborum non dat diversam ideam amoris, quam vellent.

aiunt Scholastici, ad eum, ut summam in se bonitatem dirigatur? Amat enim propriam felicitatem, qui ut a Deo promissam, his qui diligunt eum, expectat, & hac spe confortatus eius observat mandata. Bonus ac sanctus hic amor dicitur, hominique accomodabilior; sed longe nobilior, atque præstantior est benevolentiæ amor, quo purissimæ quædam animæ exarserunt, & factæ sunt victimæ caritatis. Satis non facimus præcepto diligendi Deum, si illum amore tantum concupiscentiæ diligamus; tunc enim caremus amore benevolentiæ, atque hic summopere præceptum est. Quid est enim amor benevolentiæ? Est velle alicui bonum, quod habet, & maius etiam si fieri possit, quo habet. An non tenetur creatura velle ut Deus habeat bonum, quod habet? Præterea oportet amare Deum ut bonum est nobis; præceptum est enim; ut æternam inquiramus nostram felicitatem. Ipse enim, qui pro sua infinita miseratione nos in filios adoptavit, atque cœlestis regni sui heredes fecit, sibi corda nostra devinxit, ut cum prior ipse nos dilexit, amori amorem rependamus.

## CAPUT X.

### *De iucunditate in cœlestium meditatione.*

HÆc infima, & terrena, in quibus non est nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, relinquamus, & ad cœlestia, quæ veram continent beatitatem mentem erigamus. Illic est iusto-

storum habitatio, in qua iucundantur, & exultant in conspectu Dei, & delectantur in lætitia; ibi quidem a lumine gloriæ clarificati, quem viatores non nisi per speculum, & in ænigmate viderant, tunc facie ad faciem Deum contemplantur. Si hoc in mundo iustitia induti, divinoque amore succensi, dum divinam naturam, eiusque bonitatis effusionem recogitabant, tanta iucunditate perfundebantur, ut ab ea veluti inebriati viderentur; quanto maius erit gaudium, quantaque excellentior iucunditas, cum ad perfectam eius possessionem pervenerint? Accedamus ergo ad Dominum nostrum, si illuminari volumus, abiicientes opera tenebrarum, quæ nos a Deo avocant, eumque gustare non sinunt. *Gustate*, inquibat S. David, Ps. 33. 9. *quam suavis est Dominus*; sed eius dulcedinem percipere nequeunt, qui terrenis adhuc deliciis delectantur, eas studiose quærunt, Deoque adhærere non laborant. Cum enim totum exigat voluntatis affectum Dominus, qui supremam tenet cordium nostrorum dominationem, nullum alium amorem secum admittit, eisque suas denegans benedictiones, in languore, & ariditate relinquit. Regius autem Propheta, qui in adhærendo Deo suam inveniebat felicitatem, eiusque cor in meditatione summi boni exardebat Ps.38. v.4., animæ suæ exultationem experiebatur, & super salutare eius delectabatur (1). Deum ergo as-

---

(1) Ita Marsilius Ficinus de Relig.Christ. cap.XI. *La mente umana di, e notte in se rivolta Iddio. Iddio arde nel cuo-*

assidue meditantes nihil melius sibi dari cognoscunt; cum in eo bona omnia contineantur. Quare ipse S. David Dei beatitatem uno verbo complecti volens, ait: *mihi autem Deo adhaerere bonum est*. Ps. 72. 28.

Beatus itaque vir ille, cuius mirabiles fiunt ascensiones in Deum; cum frequenter in conspectu Dei se constituat, quo magis eius pulchritudo, & magnificentia ipsi revelatur, tanto magis perfectionis proposito, & voluntate inflammatur. Propriam enim agnoscens infirmitatem, & carnis sentiens repugnantiam, illis virtutibus communiri postulat, quibus a via iustitiæ numquam declinet. Nuper ad Deum conversis lux prima claritatis scientiæ eius splendescere incipit, qui depulsis vitiorum tenebris, de virtute in virtutem procedent, & amabiliorem semper divinam bonitatem inspicientes, ab ea numquam divelli patientur. Cum nihil veræ, stabilisque felicitatis mundus ipsis conferre valeat, & iam dispendia potius vitæ, quam vera eius gaudia experti sint, decipi ab illis non ulterius sinent, sed ad Deum solam permanentem felicitatem adspirabunt. Ipse enim est pax nostra, quæ exsuperat omnem sensum, & non habentes, semper inquietum est cor nostrum, donec in eo requiescat.



*re. A Dio sospira il petto. Costui canta la lingua, questo adorano il capo, le mani, le ginocchia; questo gli artifizj degli uomini rappresentano &c.*

Hinc patet ratio, cur tot eximii viri, ut liberius Deo vacarent, deserta, & solitudines petierunt; avulsi enim ab illecebris mundi, necessària tantum sibi concedentes, in sanctis meditationibus spiritum relaxabant. Vetere enim consumpto homine, novoque superinduti, quo Jesu Christo assimilari cupiebant, mortificati quidem in carne, vivificari autem ipso in spiritu cupiebant; quot dulcedines igitur, quot raptus ad Deum, quot illustrationes ab ipso accipiebant? ut persæpe illud Apostoli usurparent Philip. 1. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Hæc sola cogitatio quantæ lætitiæ, & jucunditatis nos implere debet, animadvertentes universum hunc tantarum creaturarum apparatum quondam interiturum, nos autem ad beatam immortalitatem conditos, eam promereri posse. Quanta Dei dignatio, qui nos in cœlis sibi socios facturus est? quas facultates animæ dedit, ut ab his caducis rebus se elevaret, atque ad ipsum possidendum tota contenderet? Non eas desidiosas patitur, non ad terrena conversas; sed cum inexaustum omnium bonorum fontem se eis præbeat, & interioribus illas viribus continuo reficiat; quæ prius non alliciebant; modo maximam in cordibus excitant cupiditatem.

Constat illis duas esse ad cœleste Dei tabernaculum vias, innocentiam nempe, & pœnitentiam; si a prima exciderunt, alteram libenti animo amplectentes, in cruciatibus, & pœnis corporis, quibus se affligunt, gaudent, tantoque magis suis in cruciatibus delectantur, quo pu-

puriores fieri coram Deo concupiscunt. Ipse Gentium Apostolus Paulus, qui ad tertium usque cœlum elevatus superna arcana sibi revelari meruerat, fassus est, se corpus suum gastigare, & in servitutem redigere, ut victa carnis repugnantia, nihil eum retardaret, quin totus Deo coniungeretur. Inita igitur hac interioris hominis cum Domino unione, qui natura sua est communicabilis, & qui amantes ad se attrahit, tantis illis benedictionibus cumulat, ut nullam in mundo beatiorem iucunditatem inveniat. In secretis collocutionibus, in mentis elevatione ad divinum amantem, cum tota rapiatur anima, & quasi in aspectu eius beatissimo absorbeatur, sacræ Sponsæ vota usurpans ait. Cant. 2. 14. *Sonet vox tua in auribus tuis & facies tua decora*; nihil enim iucundius est, quam ad eius amorem incendi, nihil delectabilius, quam ad clariorem Dei cognitionem pervenire. Ibi infinitam contemplans Dei caritatem, qua nos diligit, nosque diligentes facit, maiori ardet desiderio placendi Deo, voluntatem nostram in divinam plene transformat, ut nihil cogitet, nihil velit, quam cum Deo esse, eique perfecte adhærere. Si enim Apostolus Petrus, cum esset in monte Thabor, ubi gloria Christi Salvatoris revelata fuit, eiusque facies sole splendidior apparuit, perpetuam ibi mansionem facere exoptavit; Matth. 17. 4. quanta suavitate, & gaudio cumulantur, qui non paucis momentis formam corporis Christi clarificatam intuentur, sed ad suæ divinitatis arcana intelligenda admittuntur,

atque frequentibus illustrationibus recreantur?

Fortasse Dilectus a se aliquando elongatus videbitur; ariditatem etiam, & tenebras contemplationi vacantes patientur; sed eum quærere, & deprecari ferventius studeant, ipse se liberalem iterum præstabit, uberioresque gratias in illos effundet. Veruntamen non pro sensibili gaudio Deus est amandus; sed eius dignitas, eius excellentia, & bonitas infinita omnem amorem sibi vindicant: & hoc satis est, quod nos immerentes, peccatis onustos, plerumque etiam ingratos se amare patiatur. Rogemus ergo eum, ut eadem caritas, qua nos hic viatores ipsi mirabiliter coniungit, comprehensores in cœlis eius bonitatis faciat, eumdemque perpetua dilectione prosequamur. De amore Dei egregie cecinit supra laudatus Dantes De Purgat. Cant. XV. (*)

(*) *Quello infinito, & ineffabil bene*
*Che lassù è, così corre ad amore*
*Come a lucido corpo raggio vene*
*Tanto si dà, quanto trova d'ardore*
*Si che quantunque carità si stende*
*Cresce sovr' essa l'eterno valore*
*E quanta gente più la sù s'intende*
*Più v'è da ben amar, e più si ama*
*Come specchio l'uno a l'altro rende.*

LI-

# LIBER SECUNDUS

## DE VITA LITTERARIA

## CAPUT I.

### *Nihil tristius est Senibus otio.*

CUm homo constitutus sit a Deo, ut operetur illa in conditione, in qua positus est, diesque suos non in inertia, sed in labore traducat, senectus illi gravis & valde tristis redditur, si inoperosus, & tamquam semimortuus vivat. Videns enim se nihil amplius ad privatam, vel publicam conferre utilitatem, viresque suas quotidie deficere sentiens, concidit animo, mortis prædam iam iam evasurus. Hanc cogitationem senes die nocteque volventes, non facile dictu est, quanto in luctu, & mœrore vitam agant, & solatio se destitutos esse querantur. Verum aliter sensit Seneca Ep. 12. lib. 1. Lucillo scribens: *Senectus plena est voluptatis, si scias uti*; & opportune sapienterque admonet Cicero lib. de Senec., Scipionem, & Lælium colloquentes faciens, quibus remediis ætati ad occasum vergenti sit occurrendum. *Aptissima*, inquit, *omnino sunt, Scipio, & Læli, arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus, non solum quia numquam deserunt, nec in extremo quidem tempore ætatis (quamquam id quidem maximum est) verum etiam, quia conscientia an-*

*ante actæ vitæ, multorumque factorum recordatio iucundissima est.*

Voluptatem igitur, non tristitiam habere possunt senes, atque ab otio expergisci, quoties easdem exerceant virtutes, quas florentibus annis compararunt, quarum usus ipsis facilior erit; cum olim difficultates cognoverint, & superaverint. Ad bellum lætus properat veteranus miles, qui sæpe tela inter, ignitosque globos virtutis suæ exprimentum fecit; tyro e contra refugit pugnam, & facile ab ordine eximitur, infamiam fugæ, gloriæ fortitudinis anteponens. Assuetus nauta procellis obsistere, syrtesque vitare, sereno, vel obscuro cœlo, navigium littore solvit, pelagoque audax insultat, lucrum de mercibus suis percepturus. Item agricolam in labore induratum non hiemis gelidi venti, nec æstate ferventes calores retinent, quin ad cultum vineæ vigil incumbat, & in metendis segetibus sedulam operam impendat. Adeo equidem ad agendum usus assiduus naturam hominis proclivem, facilemque reddit, ut facultates illas, vel artes, quas diu exercuit, & non multo absque labore comparavit, solamen, & voluptatem conferant, eumque vitæ etiam longioris non tædeat. Imputent sibi senes, si in otio tabescunt, quod levia semper viridi in ætate consectati, vel quo se vertant, nesciunt, ut occupentur, vel si quid solidi aggrediuntur, tædio, & molestia affecti dimittunt. Videntur ego illi plerumque tardi e cubili surgere, aut semisopiti in sella consistere, vel parum firmo pede huc illuc tristes vagari.

gari. Videntur diurnas urbis novitates curiose inquirere, ephemerides quascumque legere, & commentari, cum æqualibus magna diei parte nugari. O miseri, qui de mundo numquam saturi, a mundo inviti abripiuntur!

E contra quam dulce est virtuti mature deditis cupiditates, libidinesque vicisse, qui in senectute politioribus exculti litteris, ad eorum incrementum vel incumbunt, vel aliorum litteratorum lucubrationibus oblectantur, eosque liberaliter suo fovent patrocinio. His jucunda clientum societas deesse nequit, quod memores benefactorum, quæ receperunt, & dudum accipiunt, haud melius ea rependere valent, seque gratos exhibere, quam eos frequentantes, impensoque studio colentes. Magnum profecto, ingravescentibus annis, hoc est solatium, & in infirmitatibus, quæ longævam ætatem comitantur salutare præsidium, ne tristitia valetudinis incommoda graviora reddantur.

Virtutis munere in calamitatibus animus erigitur, & recreatur; siquidem Deus homini mentem dedit, ut suæ memor conditionis, in prosperis superbe se non extollat, & adversa fortiter, constanterque sustineat. Caveant ergo senes ab afflictione spiritus, quæ corpori etiam nocet, & ab ipso Deo improbatur, qui nos ei servire in lætitia præcipit, atque de manu eius sicut bona, item mala eodem voluntatis adsensu suscipiamus. Huiusmodi æquabilitas, quæ maxime desursum petenda est, in nobis a sanctis cogitationibus alitur, atque firmatur, scientes

cu-

coronam gloriæ non incipientibus, sed perseverantibus usque in finem reservatam. Non qualiscumque labor sufficit, sed diuturno in agone certandum est, cum mortalis hæc vita multas secum adferat ærumnas, & calamitates. Plerumque contingit, ut qui florentibus annis dignitates, aut præclara munera magna cum auctoritate sustinuerint, si propter senectutem, fractasque vires ea dimittere debuerint, & privatos homines reddi, tristem eorum vicissitudinem, quam non voluntas, sed necessitas eis adtulit, invicto animo eam sustinere nesciunt. Hinc cum inculti, & deserti videantur, aut turpi languori se tradunt, vel a querelis numquam quiescunt. In re gravissima eos puto deficere, sibique angustias, & ærumnas congerere; inertem enim relinquunt firmitatem illam, atque virtutem, quam olim nullo in discrimine ostentarunt. Memores esse deberent adversitatum, malorumque victoriam senectutis finem coronare, & innocuam sanctamque vitam usque ad exitum esse producendam. Difficile sane est, ut longævi desides, & otio dediti absque maculis dies suos agant, quod torpore dominati, pravisque habitibus assueti in malas ruunt cupiditates, quarum oblectatione miserrime inficiuntur. Videant ergo senes, in quam otium eos ducat calamitatem, eamque ut avertant, assidua pietatis opera, cum aliquo litterario cultu sibi præscribant in iis enim sensim ætas labitur, nec senectute frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

## CAPUT II.

### *Quæ studia provectæ ætati conveniant.*

OMne litterarum studium, quo quis adolenscientiam aluerit, senectutis est oblectatio & ornamentum. Plures enim a Tullio lib. de Senect. commendantur summi viri, Leontius Gorgias, Plato, Isocrates, Sophocles &c., qui maxima ætate vi mentis pollentes, orationes, tragædias, resque philosophicas scripsere. His mirabilior, teste eodem Tullio, se præstitit Ennius, qui LXXX. annos natus numquam a scribendis carminibus destitit (1), & ita æquo animo duo magna pertulit onera, paupertatem, & senectutem, ut eis pene delectari videretur. Sed ne rara huiusmodi, & vetustissimi temporis ingeniorum portenta in exemplum afferamus, plures videmus hac nostra ætate, & hac in urbe egregios viros de varia eruditione, & de sacris studiis optime meritos, novas lucubrationes producere, vetera monumenta illustrare, linguas exoticas latinas reddere, & in omni scentiarum genere versatos, exiguo penu contentos numquam a labore cessare. Dent mihi veniam, si eos hic recenseam, Eminentiss. Gerdil S.R.E. Cardinalis

---

(1) Qui de numismatum scientia delectantur, non ignorant Peregrinum natione Gallum anno ætatis suæ XCV., quamvis cæcum, postremum operis sui de re numismatica supplementum edidisse.

nalis reputatissimus, P.Georgius August., P.Audifredius O.P., Ab.Zaccharia, P.Saccarellius Congr. Orat., P.Paolius Cler.Reg. a Matre Dei, & Bononiæ claris. Mingarellius Abbas Canon. Reg. S.Salvatoris &c. Hos ego veneror, eorumque litterarios labores commendare non cessabo.

Ad illos tamen me converto, qui prophana studia toto vitæ tempore excolentes, sapientiam Sanctorum nesciunt, & religionis nostræ mysteria perscrutari, ac latius cognoscere minimi ducunt. Nonne augustior est eorum cognitio, nonne utilior, cum ad ipsum Deum contemplandum mentem efferat; & si visibilia tanto ordine, tantaque firmitate disposita admiramur, invisibilia multo magis nos invitant; quæ infinite potentem, sapientemque auctorem ostendunt, & providentiæ supernaturalis admirabiles semitas manifestant? Si humanæ facultates suis præfinitæ limitibus totum requirunt hominem, totamque eius vitam occupant, ut fiat versatus in illis; rerum divinarum cognitiones longe ampliores, altioresque non ludrico, umbratilique studio, sed diuturna, seriaque opera comparantur. In sacris litteris veluti in thesauro reconditas investigantes eas assequi oportet; quemadmodum Christus Dominus Iudæos admonuit, qui legis Mosaicæ notitiam sibi sufficere ad salutem pervulgabant. *Scrutamini*, inquit, *scripturas, quia vos putatis in ipsis habere vitam æternam; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Io. 5. 39. Paulo prædicante Evan-

gelium

gelium Thessalonicæ, ubi multi ex primoribus verbum Dei omni cum aviditate susceperant, quotidie divinos libros scrutabantur, ut certiores fierent de veritate Christianæ fidei. Act.17.11. Præterea perfecta utriusque testamenti consensio, nisi utrumque simul conferatur perspici nequit, & redemptionis nostræ mysteria, quæ in lege veteri adumbrata fuere, in novo fœdere clarius revelata non percipiuntur, nisi longa meditatione, atque a SS.Patribus exposita investigentur. Huiusmodi studium cum pietate coniunctum, quam maxime delectabile est, senibusque apprime conveniens. *Totum, quod legimus in divinis libris* ( Rustico Monacho ep. 23. lib.2. scribebat S.Hieronymus) *nitet quidem, & fulget etiam in cortice; sed dulcius in medulla est: qui vult edere nucleum*, prosequitur S. Doctor, *frangat nucem*; id est meditando, & orando exteriores umbras pervadat, & illam lucem inveniet, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Beati*, inquit S. Bruno Astensis in Numer. cap. 33. pag. 193. edit. Romanæ, *qui in sacris voluminibus utriusque testamenti delectantur, semper manna abundant, numquam pane cœlesti carent; numquam eis deficit panis vivus, qui de cœlo descendit; illos Spiritus sancti gratiæ in die obumbrant, in nocte illuminant*. Nemo panem hunc cœlestem gustare potest, & hac luce delectari, quam qui non rudis, sacra volumina perlegat, multisque per longam ætatem comparatis cognitionibus, veritates in illis revelatas percipit, menteque reponit.

Ne-

Neminem latet catholicam religionem hoc inniti fundamento, nec cuilibet licere eas privato spiritu intelligere, ac interpretari; sed audienda est Ecclesia a Deo constituta magistra, & columna veritatis. Hoc adeo certum, exploratumque constat apud omnes Ecclesiasticos Scriptores, a quibus scimus, quosdam quamvis doctissimos; & qui de doctrina catholica optime meriti fuerant, seniores facti, cum de se præsumerent, Deo sic eorum superbiam humiliante, in detestabiles hæreses corruisse. Tatianum nomino, Origenem, Tertullianum, Theodorum Mopsuestenum, Paulum Samosatenum, Photium, ut multos alios omittam, quorum orthodoxa scripta sicut libenter excepit Ecclesia; ita eorum impia dogmata proscripsit, solemnique iudicio damnavit. Utinam hac nostra ætate huiusmodi pravitatis exempla in magnæ celebritatis scriptoribus renovata non fuissent! Hi enim, qui primum suis de studiis optimum fructum dederant, a fama nominis sui illusi, ut tanto magis supra reliquos eveherentur, novas in rebus divinis excogitarunt opiniones, quibus vulgo, & semidoctis imponerent, multosque sectatores sibi adsciserent. Notissimi sunt, qui Galliarum christianissimum regnum peste novitatum infestarunt, & quorum libri undequaque dispersi incredulitatem, vivendique licentiam propagarunt. Neque ab hac contagione immunis fuit hæc nostra Italia, ubi æstus libros legendi transalpinos, qui exiguæ molis, speciosisque inscripti titulis in eam pervaserunt, non tam incau-

tos

tos iuvenes infecerunt, sed patrocinium etiam apud provectos aliquos invenerunt. Aut hi doctrinæ Ecclesiæ leviter addicti essent, aut seculo depravato indulgerent, vel celebriores fieri crederent; mirum sane est, quod ætate ad finem iam prolabente, a probatiori doctrina defecerint, & in æternæ vitæ discrimen se iecerint. Luctuosam huiusmodi deceptionem paveant vel maxime qui a spiritu partium facile nimis abripiuntur, & a semita veritatis propter laudes, mundanamque gloriam recedunt; sapientiam terrenam ambitiose colunt, non cœlestem, quæ sola ducit ad salutem. Hos in Corinthiis admonet Apostolus 1. Ep. cap.8. dicens: *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire. Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Recogitent corde, quid tandem eis proderit per longam traditionem derivata dogmata in dubium revocare, periculosos libros edere, disputationes movere, cavillationes ingerere, quæ ipsos a Deo alienos ostendunt, aliosque ab eo alienare faciunt? His pessimis occupationibus sacras lectiones, mysteriorumque sanctorum meditationes substituant, & tunc non solum stabiliores fient in fide, sed eorum animus divina quadam dulcedine perfundetur, & anticipato beatæ visionis gaudio iucundabitur.

CA.

## CAPUT III.

### *A contentionibus litterariis Senes se abstineant.*

SEmper cavendæ sunt concertationes, quæ animi tranquillitati officiunt, & non nisi labores, & anxietates pariunt. Ab his multo magis oportet senes se abstineant, quiete indigentes, & concordia cum omnibus. Verum si quis provocatus fuerit, silentium ne tenere debebit? (1) Videat imprimis cuius momenti sint criminationes illatæ; quoniam si leves fuerint, tunc omnino despiciat; præsertim si qui aggressores fuerint, nullum in litteraria republica nomen obtineat. Huiusmodi blateratores prorsus sunt contemnendi, cum nulla gaudeant apud sapientes opinione, similesque garrulis avibus habeantur, quæ non cantum, sed stridorem emittunt. Ita Corsinius meus se gessit, cum a Peripateticorum ambagibus, inutilibusque quæstionibus Florentinos auditores suos avertere voluisset, novasque, iuxta recentiorum Philosophorum adinventa, suas institutiones edidisset, quæ summo cum plausu exceptæ fuerunt, criticem quorundam Monachorum flocci fecit, qui obsoletam ratiocinandi methodum, futilemque doctrinam propugnarant. Contemptus eos dedecuit, & silentes

(1) Vid. vitam clariss. Ludovici Antonii Muratorii edit. Ven.1756.Cap.IX.ubi de pluribus scriptis contra eius opera vulgatis agitur pag.75., & seqq. Item Torq.Tasii vitam a Serass. edit.

tes continuit, ut nil amplius moliri præsumpserint. Ubi vero censor tuus notus, editisque operibus illustris, in gravi materia aliquid animadversione dignum tibi opponat; tuaque vellicet scripta; tunc æquo animo pendenda sunt eius obiecta, quæ si firmis innitatur fundamentis, non pudeat fateri, te ut hominem errasse. Si autem validiores tibi videntur rationes causam tuam, & doctrinam comprobantes, fas tibi erit modeste ac temperanter in arenam cum adversario tuo descendere. Cum certamen aggrederis, dic te veritatis amore compulsum id agere, & ab acerbis obiurgationibus abstinens, oppositis argumentis plane respondere, satage. Victoriæ iudicium sapientioribus relinque; nemo enim in propria causa æquus iudex habetur; & quamvis censoris partes suscepturi sint aliqui, longe plurimi iustæ defensioni suffragabuntur. Fateor equidem in concertationis æstu difficile admodum esse, ita se temperare, ut nihil durum, nihil acerbum intercidat, quemadmodum contigit in causa rebaptizandorum Cyprianum inter, & Stephanum Papam, & Hieronymum inter, & Augustinum in controversia de origine animæ.

Sæpe disputationes in immensum protrahuntur, non sine magna animorum commotione, quæ mutuam lædunt caritatem, & ab utilioribus pertractandis studiis tempus, & mentem abripiunt. Celebris est, omissis aliis pluribus, contentio inter Érasmum Roterodamum, & Bedam Doctorem Sorbonicum, causa interpretationis

utrius-

utriusque Testamenti, quam Erasmus exaraverat: Cum enim Bedæ plura loca non catholice explanata viderentur, contra auctorem prælium inivit; qui cum mutuis se conviciis lacessiverint, perpetuum inter se bellum egerunt; & uterque plures vices pertulit, & calamitates. Visus est nonnullis Jo. Laurentius Berti doctissimus Theologus in Athenæo Pisano Histor. Eccl. professor clarissimus criticem suam, seu doctrinæ Augustinianæ de Gratia vindicias in illustrissimum Languetum Archiepiscopum Senonensem vehementer nimis impulisse; sed catholicus vir de Theologicis disciplinis optime meritus a Præsule dignitate, & auctoritate conspicuus, ut Janseniani erroris propugnator delatus, nihil omittere debuit, quin adversarium refelleret, inflictamque sibi proscriptæ hæresis labem expungeret, & se cum catholicis omnino sentire palam faceret. Compertum etiam ei erat, qui sub nomine Senonensis Præsulis eum Jansenistam traducere nitebantur. Verum aliud est controversias fidei agitare, aliud litterarias lucubrationes scribere. In primis exploranda est veritas, totoque nisu defendenda; e contra cum facultates humanæ ab eruditione, & ingenio pendeant, nihil detrimenti capit religionis Christianæ doctrina, quoties quilibet auctor suam tueatur sententiam. Non ita res se se habet de dogmate in Scripturis revelato, aut ab Ecclesia tradito

(2) Vid. eius Expostulationem Liburni editam an. 1756. in 4.

dito, quod toties instaurandnm est, quoties ab hæreticis impugnatur, & ad mortem usque pro ea certandum est. Hoc in agone, cum D. Paulus toto vitæ suæ tempore contendisset, ad illud fortiter obeundum Timotheum discipulum adhortatus est, ei scribens 2. Ep. cap. 1. *Certa certamen fidei*.

Si vero rei amplitudo postulet, ut aliorum collatis scriptis, aliquid ad maiorem perspicuitatem, & eruditionem producatur, de sacris doctrinis maxime merebuntur, qui in veritate catholica firmius stabilienda, atque illustranda operam omnem collocabunt. Robertum Cardinalem Bellarminum, Henricum Cardinalem Norisium, Jacobum Benignum Bossuetum, Meldensem Episcopum, Natalem Alexandrum, Dionysium Petavium, memoria æterna dignissimos recensebo, qui non tam heterodoxos validissime confutarunt; sed exploratis SS. Patrum sententiis, & Conciliorum sanctionibus Ecclesiam flamine divino inspiratam, doctrinam sanctam, tutamque semper tradidisse comprobarunt. Quid de immortali Annalium Ecclesiasticorum parente Cardinali Baronio dicam? qui a divino viro illo Philippo Nerio ad scribendam Ecclesiasticam historiam compulsus, ad ultimam usque senectam in ea laboravit, præstititque posterioribus Scriptoribus amplissimam messem, qui novis eam detectis monumentis exornantes, accuratius perpensis Romanorum Pontificum gestis, chronologia melius stabilita, expunctis suppositis documentis, hæreticorum figmenta illiderent,

E ac-

accusationes refutarent, mendacia contererent? Quantum debeat Ecclesia Labbeo Soc. Jesu lumini fulgentissimo, paucis dicere nequeo, sed satis eum tota in posteritate celebrabit magna Conciliorum collectio, opportunis notis doctaque critice illustrata, quæ dogmatum fidei & sanctissimarum sanctionum inexpugnabile præsidium semper erit (1). Neque Politum meum præteribo, cuius plura sunt opera; sed præcipue versio latina, & interpretatio in Commentaria Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis (2) in Illiadem Homeri tribus voluminibus comprehensa, quæ typis Bernardi Paperinii Florentiæ edidit. Alia deinde Commentaria eiusdem Eustathii in Dionysium Periegetem est interpretatus, & Coloniæ Allobrogum an.1741. in lucem emisit. Sequenti anno Romam venit, & Orationes XII., in Pisana Accademia dictas, Benedicto XIV. P.M. dedicavit; agebat tunc ætatis suæ an.62. Eo tempore idem Summus Pontifex Polito mandavit, ut Martyrologium Romanum a clariss. Baronio S.R.E. Cardinali conditum suppleret, ac illustraret. Vix Pisas rediit Politus tantæ molis opus aggressus est; & quamvis nulli pepercisset labori, atque in Ecclesiastica eruditione versatissimus esset, nonnisi an.1751. primum volumen, quod

(1) Labbeo accensendus est illustrissimus D. Dominicus Maria Mansius Archiep. Lucensis de Ecclesia optime meritus, qui aliam ampliorem, atque adnotationibus ditiorem Conciliorum collectionem adornavit.

(2) Floruit seculo XII. desinente, Emmanuele Comneno Imper. Constantinop.

quod mensem Januarium complectitur, Florentiæ apud Petrum Caietanum Vivianum publicavit. Cœperat etiam edere illustratum mensem Februarium; sed X.Kal.Aug. an.1752. apoplexia correptus, mœrentibus litteratis omnibus Florentiæ obiit. Hæc dum commemoro, ad laudes eius cumulandas dicam, eximium virum hunc in Græcis, Latinisque litteris plenissime versatum a controversiis semper abstinuisse, eumque sæpe me audivisse, perbreve vitæ nostræ tempus non in tricis, & conflictationibus insumendum, sed consultius esse, a studiorum suorum tramite numquam deflectere, tranquillitatem maxime necessariam colere, & neminem lædendo, omnium amorem, & æstimationem sibi conciliare.

## CAPUT IV.

*Amicorum Litteratorum consuetudo maximum est Senectutis solatium.*

IPsa per se amicorum societas grande est vitæ nostræ levamen, & adiumentum. Hoc autem beneficium multo iucundius, atque utilius redditur, si ingravescentibus annis iidem litterati homines, quos studia, indoles, honestas, & benevolentia nobis devinxerant frequentare valeamus. Homo enim a natura comparatus est, ut suos similes diligat, & quodammodo alterum se in ipsis comperiens, quanto amore sui afficitur, tanta eos caritate prosequatur. Longa etiam eorum consuetudo, cum quamdam animo vim addat, ut in illos totus feratur, nil magis eum

oblectat & in molestis curis, & adversitatibus, quæ numquam desunt, recreat, quam si cum amicis aliquantum temporis iucunde læteque traducamus. Huiusmodi amici nobis non sunt incognitus pelagus, cum diuturno usu præmoniti nullas syrtes, scopulosve in itinere offendimus, & secundis ventis semper tranquilli, tutique navigamus. Aliter se gerunt iuvenes, qui nullo delectu, nulloque consilio plerumque in amicitiam, & societatem eos adsciscunt, qui eis obsequuntur, voluptati, vitioque indulgentes, nec satis cauti innocentiæ, honoris, & salutis pericula vitant.

Plena vero decoris, & iucunditatis senibus est amicorum litteratorum frequentia, eam enim cum virtus, & sapientia coalescere fecerit, diuque aluerit, ac sustentaverit, omnes in hoc unum conspirant, ut novis studiorum suorum experimentis, consociorum dilectionem, & æstimationem sibi promereantur. Simul conveniunt historiographi, antiquarii, philologi, liberalium artium cultores eximii, veterum monumentorum interpretes illustres, qui suas producentes cognitiones, suaque de recentibus opellis iudicia proferentes, incredibile dictu est, qua lætitia, & oblectatione animus cuiuscumque erigatur, & ad eumdem studiosæ vitæ tramitem percurrendum incendatur. Illo igitur in consessu historiarum scriptor præteritorum temporum monumenta revolvens, ævi illius mores, viros virtute commendabiles, variasque vicissitudines referens, ad memoriam revocat, quæ longo intervallo

vallo lecta, vel audita mente exciderant. Qui numismata, aut tabulas inscriptas a non genuina interpretatione vindicavit, plura ad rempublicam utilia colligens, supellectilem magnam eruditionis audientibus comparavit. Ille autem, cuius in liberalibus artibus præstat excellentia, dum celebriorum auctorum in pictura, vel sculptura describit opera, eaque sub oculos delineata repræsentat, non solum præsentes delectat; sed futuræ etiam proficit ætati, cui tam præclara exemplaria proponit. Alter in mineralibus, aliisque fossilium corporum speciebus indagines suas novo ordine descriptas profert, regnumque naturalium productionum miro ordine dispositum ostendit. Cum igitur unusquisque de suo penu aliquid in dies deferat, schola fit conversatio, non gravis, neque molesta, quod non desint faceti homines, qui lepidis motibus sermocinationes serias intermisceant, & alacritate ingenii recreant, non dicacitate fatigant. Nemo tamen est tam levis animi, qui ad se referat, quod ludendi, placendique æstus expressit; huiusmodi generis socii gaudent utique si similis sibi retributio reddatur; cum nemini iniuriam facere putent, nec ipsi de se male alios sentire censeant, si dicta dictis repercussa percipiunt.

Neque, ut hæc eadem probentur acta ab optimis, doctissimisque viris, opus est M.Tullii, & Pomponii Attici, aut antiquiora Catonis, & Scipionis Africani recordari tempora, qui simul cum coævis amicis frequenter conveniebant. Multo enim recentiores celebrantur huiusmodi

so-

sodalitates, Florentiæ præsertim, cum Marsilius Ficinus, Franciscus Filelphus, Grysoloras, Ambrosius Traversarius, aliique sapientes Græcas, Latinasque litteras instaurarent, & Platonicam Philosophiam profiterentur. A Salvino Salvinio in Fastis Consularibus Accademiæ Florentinæ accepimus similes litteratorum hominum conventus in hortis Oricellariis, statutis diebus, haberi, inter quos Cyriacus Stroctius insignis Philosophus, Aloysius Alamannius, Bernardus Oricellarius, Alexander Segnius &c. eminebant, & juvenes nobiles, qui in illis admittebantur ad eadem sectanda studia incendebant. Præter honestam, lætamque conversationem, hoc maximum beneficium in rempublicam redundat, quod cum ætas ipsa senum venerabilis sit, huic copulata scientia, longaque rerum experientia, eorum consuetudine juniorum mores sensim conformantur, otium, & delicias fugiunt, & ad nativæ nobilitatis vera ornamenta comparanda toto animo incumbunt.

Utinam litterarii huiusmodi cœtus in maximis civitatibus plures essent, quot sane utilitates in ipsas redundarent! Sed desunt summi illi viri, qui iis delectentur, qui liberales sint, qui privatis suis commodis, aut relaxationibus aliquid demere velint. Quare illos maximi habendos, colendosque dicam, quorum comitas, & liberalitas doctos homines eadem in urbe commorantes, atque exteros, quique adveniunt, allicit, ac lubentissime excipit. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur integritas, lit-

litteratorumque patrocinium in omnium ore feratur; & ita apud exteras nationes celebrantur, ut ab his etiam, qui præsentia eos non noverint, fama cogniti summo in honore habeantur (1). Sequuntur enim hi indolem ad benefaciendum innatam, cui si addas generis nobilitatem, optimis disciplinis excultam, adeo præstantes cariquc societati redduntur, ut si iam eminenti aliqua dignitate refulgeant, nemo est, qui ad altiores gradus illos evectos videre non concupiscat.

Ad senes ut redeam, eorum amicitia, non quemadmodnm inter iuvenes dirimitur; sed diuturnis perstricta vinculis perseverat, & usque ad mortem non solvitur. Non enim ætatis mutatio, non cupiditas pecuniæ, non dignitatis ambitus, non honoris contentio mutuam dilectionem extinguit; ubi enim amicitia a virtute gignitur ab eadem alitur, & quidquid prosperum amico accedit, sibi factum putat, de eo gaudet, atque solatur (2). Iam ipsi sua sorte contenti non patrocinia inhiant, non lætiores fortunas quærunt; satis est ipsis cum viribus animi ea frui corporis valitudine, qua eorum consuetudo iucunda sit, non molesta. Felices ergo illi,

(1) Postquam dixerit Cicero sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos, ait: *Nihil est enim virtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubique erit gentium, a nobis diligetur* de Nat. Deor. lib. 1. in fine.

(2) *Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater*. Prov. 18. 24.

illi, quos fori strepitus non occupat, non spectacula popularia oblectant, non theatra, aleæque invitant: felices inquam, qui sub sapientiæ auspiciis suos traducunt dies, qui honestatis pignore tuti quiesçunt, qui in summa amicorum consensione suam reperiunt beatitatem.

Verum quidem est, non semper amicos nobiscum habere; interdum enim contingit, ut quos vix nobis devinximus, ab illis dividamur; vel quia alienigenæ proprios ad lares redeunt, vel a publica auctoritate ad alia obeunda munera transferuntur. Quid ergo absentia, & longinquitas amicorum amicitiam solvent, ac in illis inviscendi, tractandique voluptas interibit? Nequaquam. Per epistolas equidem in dissitis regionibus commorantes præsentes fiunt; in illo familiari litterarum commercio liberius fortasse, dulciusque mutui amoris sensus explicantur, & foventur; ut cum illis vivere ac cum illis esse videamur. Vices sermonis gerit epistola, adeoque statim dignoscitur amicus næ sit, an non; quoniam amicitia dissimulari nequit, & quamvis de negotiis seriisque rebus agatur, verba dilectione condiuntur, semperque elucet caritas, quæ eos inter se benevolos reddit. Iure igitur familiaritas C. Lælii, & P. Scipionis celebratur, qui licet causa agendi Reipublicæ munera per sæpe disiuncti forent; attamen non intermissis per epistolas officiis, toto vitæ tempore se coluerunt, ac summopere dilexerunt. Quid referam M. Tullii litteras ad Pomponium Atticum, quæ in manibus omnium versantur? Fidem enim fa-

faciunt, quales ipsos præsentes recreabat animorum coniunctio; eosdem invicem separatos, & absentes, amicitiæ viculum semper unitos retinuisse (1). Idem testatur S. Hieronymus Paulino ep. 2. lib. 2. *Frater Ambrosius*, inquit, *tua mihi munuscula detulit, & suavissimas litteras, quæ a principio amicitiarum fidem iam probatæ fidei, & veteris amicitiæ præseferebant*. Ipsis enim constabat, amicitiam, quæ desinere potest, numquam veram fuisse.

## CAPUT V.

*Nemini consilia, adiumentaque studiorum denegent qui possunt.*

PRæluxit Ciceronis sententia, quod non utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consequatur, quia ipsa virtutis opinio amicos conciliians

(1) Quam utile sit, quamque delectabile epistolarum Litteratorum virorum commercium non multis edisseram, his qui eruditionem excolunt, & in studiorum progressu recreantur. Inter recentiores huiusmodi Epistolarum collectores optime meritos se reddiderunt Angelus Maria Bandinius Canonicus, & Præses Reg. Biblioth. Medic. Laurent. qui primum an. 1755. litteras edidit Florentiæ Claris. viri Joan. Bapt. Donii, dein an. 1758. epistolas etiam ad celebratiss. Senatorem Petrum Victorium seniorem; & Laurentius Meus qui 13. libros epistolarum cum vita Ambrosii Camaldulen. publicavit an. 1759. Quot litterati homines nobis incogniti essent, quot incompertæ lucubrationes, quotque privata optimæ critices studia, nisi docti illi, & laboriosi viri sedulam operam in illis monumentis colligendis impendissent? Hæc dum lubens commemoro, videor me cum illis agere, quos diu Florentiæ amicos habui.

cilians requirit, ut præsidium, & adiumentum sibi præstent, ne dilectio eorum sterilitate, & inutilitate extinguatur. Cum agitur præcipue de dandis consiliis, aut de commodis, quibus studia adiuventur, si quis amico indigenti negaret, quæ tribuere potest, nomine, non opere se amicum gereret. Quando amicitia benefica non est, atque indulgens, ut ait idem Tullius, similis trunco redditur, vel lapidi, aut rei cuilibet eiusdem generis, quæ profecto extant, sed nihil ad bonum alterius conferunt. In hoc litterati senes maxime incumbant, qui multa eruditione, & experientia instituti, ut iuvenibus aliquod studiorum suorum specimen in publicum proferre cupientibus ostendant, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Non enim tanta inest ipsis Scriptorum, rerumque cognitio, ut ad grandia tractare argumenta pares vires habeant, & primis litterarum luminaribus palmam eruditionis contendant. Temperent etiam se a scribendis opellis, quæ vel aliorum auctorum compendia, aut versiones, sive commentariola exhibent, nullo nomine digna (1); se potius instruant, ut maturiori ætate opus aliquod moliantur, quod Ecclesiæ, aut reipublicæ utile iudicetur, quod elegan-

---

(1) Vid. Murat. de Publ. Felic. cap. 8. pag. 76. Idem inculcat de viribus Phantas. cap. 15. Et Menzinius Sat. 11. hoc præclarum monitum iuvenibus dedit.

*Inclito figlio di Minerva è quello,*
*Che fa del suo, e non chi cuce stracci.*

gantia, & doctrina excellat, quod inventione, & ordine ingenium, magnamque cognitionum copiam ostendat. Hoc in supremo subsellio iure meritoque collocantur duo Victorii, Norisius, Panvinius, Petavius, Sirmundus, Muratorius, Politus, Corsinius (1), aliique similes, quorum eximia opera ab omni posteritate commendatissima erunt, & tamquam duces, & magistri in nobilioribus facultatibus habebuntur. Admiramur eos, laudamusque tamquam ingeniorum portenta, & paucos admodum esse fatemur, qui tanta profunditate, & amplitudine de maximis scientiarum argumentis egerint. Verum non eos in exemplum adtuli, ut ab exarandis libris deterream, qui illos æmulari nequeunt, sed ut ad severiorem scientiarum cultum eos permoveam, qui mentis acumine præditi, nisi in levibus lucubrationibus tempus tererent, longe præstantiores studiorum suorum fructus edere possent.

Non pro cultis hominibus, inquiunt aliqui, semper scribendum est; sed etiam pro indoctis, vulgique captu, qui falsis imbuuntur opinionibus, nec satis animadvertunt errores, qui eis insidiose traduntur. Concedam utique im-

(1) Præclara inter opera a P. Eduardo Corsinio Ordinis mei Præp. Generali edita, de Fastis Atticis in quatuor volumina distributis, & Florentiæ apud Jo. Giovannellium impressis, mentionem faciam; eos enim omnium fere nationum litterati maximo in pretio habentes summis laudibus suis in scriptis cumularunt. Tantus vir longiori vita dignissimus apoplexia sublatus est Pisis III. Kal. decembr. an. 1765., æt. suæ an. 64.

improborum Scriptorum colluviem, quæ undequaque orbem inundavit, impugnantium auctorum copia esse refellendam. Ac huiusmodi oppugnatores plerumque ab adversariis despiciuntur, qui eadem millies dicta, & repetita obtrudunt, nec novi aliquid proferunt, sed acerbiores asperis verbis, & conviciis dissentiones reddunt. Veritas, quo simplicius, sobriusque traditur, eo libentius excipitur; quatenus intellectum sibi devincit, oppositis animi sensibus supereminet, atque ad bene sentiendum reducit. Non abnuo aliquando vehementi quadam dicendi ratione opus esse, si quis provocatus fuerit, aut error in fide propugnetur; tunc oportet omnibus orationis nervis contendere, & veritatis hostes confutare. Ita se gessit S.Hieronymus contra Jovinianum, S. Augustinus contra Pelagium, S. Lanfrancus Cantuariensis contra Berengarium, & S. Bernardus qui contra Abailardum disputavit (1), quorum scriptis hæretici illi validissime sunt profligati. Hujusmodi consilia lubenter iuvenes a senibus excipiant, qui non in contentionibus, nec in famosis inimicitiis se claros reddiderunt, sed qui studiorum suorum specimina concinnantes, pacem, & concordiam cum omnibus coluerunt.

Alterum beneficium litterati senes iuvenibus in-

(1) Abailardus sub finem vitæ resipuit, cucullam induit in Monasterio Cluniacensi, in quo usque ad mortem quæ contigit an.1131. exemplarem pœnitentiam egit, & piissime obiit. Fleuri lib. Histor.Eccl.68.

ingenii cultui addictis præbere possunt, videlicet, si libros suos commodent, & qui utiliores ipsis, & præstantiores sunt, doceant. Qui enim Minervæ se devoverunt, si domesticis facultatibus careant, vix exiguam librorum suppellectilem habere solent; quare ipsis optime consultum erit, cum ab his, qui magnam eorum copiam possident, usus concedatur. Instruuntur Bibliothecæ non ad pompam, sed ad utilitatem, quæ quanto magis diffunditur, tanto uberior erit fructus a largitore in litteras collatus; eius enim beneficentia industria animatur, sciendique cupiditas inflammatur. At cui bono congerunt aliqui libros, quos nec ipsi legunt, nec aliis legendos permittunt? Similes avaris dicam, qui aurum auro cumulant, & ipsi pluribus indigentes vivunt. Patent utique iuvenibus cunctisque viris Bibliothecæ publicæ, sed nec omnibus diebus, nec horis omnibus frequentari possunt: hieme gelidæ, æstate nimium calidæ inveniuntur. Si vero apud nos sint libri, mane, & vespere, nocte dieque nobis præsto sunt, atque eis quantum volumus frui possumus. Hi autem, qui aliis libros suos legendos commodant, publicæ utilitatis amatores videntur; quod novis productionibus materiem præbeant, & laborem scribentium leviorem reddant.

Superest, ut modo agam de ratione in edendis libris, quos iuvenes auctores valde cupidi sunt in lucem proferre (1). Cum igitur quis aliquod

(1) Vid. August. Valerium lib. de cautela in edend. libris, & Murator. loc. cit.

quod studiorum suorum specimen publici iuris facere voluerit, ante omnia non assentatori alicui (1), sed severo, doctoque iudici lucubrationem suam subiiciat, eius censuræ pareat, & consilia sequatur. Nihil de se præsumat, verens ne amore proprio deceptus, quæ veritati consona, recteque producta iudicavit, si ad severiorem trutinam exigantur, minus perspicua, & probata censeantur. Plurima habemus summorum virorum exempla, qui quidquid scribebant, amicis suis communicabant, nec antea in publicum ferri permittebant, quin eorum iudicium fuissent consecuti. Vetustiores omittens Collucium Salutatum, Io. Bapt. Poggium, Franciscum Petrarcam &c. Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, & S.R.E. Cardinalis de se fatetur, sua omnia scripta Bernardi Navageri avunculi, & Silvii Antoniani, amici sui examini tradere consuevisse (2). Idem præstitere Torquatus Tassus, eiusque pater Bernardus, qui poemata sua typis committere negarunt, donec celebriorum vatum opinionem, & criticen accepissent; idem Petrus Victorius senior, qui Aristotelis libros de optimo civitatis statu, a se expurgatos, & in latinum versos Jo. Casæ Archiep. Beneventano, antequam ederet, legendos dedit, eumque arbitrum, existimatoremque sui laboris sibi elegit; idem fertur de Jo. Baptista Donio, cum carmen oc-

(1) Antonius Magliabecchius vir cl. coram auctoribus eorum scripta commendare solebat; sed iis absentibus acri censura notabat. Menzinius Satir.IV.

(2) Uterque sacrum Purpuratorum Collegium sapientia probitate, magnisque muneribus illustravit.

casione nuptiarum Taddæi Barberini Urbani VIII. P.M. nepotis composuisset, ad Gasparem Scioppium misit, ut de eo iudicium ferret. Qui autem provinciam hanc amicitiæ causa assumunt, omni cum diligentia, & honestate, tamquam rem propriam agant, ut amico morem gerant, & publicæ conferant utilitati. Si Mæcenatis alicuius nomine librum suum auctor exornare velit, illum eligat, qui dignitate, & auctoritate ei prodesse valeat, & in scribenda littera dedicatoria Mæcenatem suum his laudibus celebret, quæ iam communia suffragia obtinent, quæ eius dignitati conveniunt, nullamque ostendant adulationem. De argumento operis non solum facienda est mentio; sed dicenda ratio, cur his sub auspiciis auctor lucubrationem suam publicam fecit, & patrocinium, gratiamque Mæcenatis sui imploravit.

## CAPUT VI.

### *De æmulatione, & invidia alterius nominis a Senibus vitanda.*

NOtissimum est Pierii Valeriani opusculum *de infelicitate Litteratorum* (1). Hanc ille infelicitatem a pauperie repetit, qua interdum multos post exhantlatos labores, & expensas in edendis libris auctores premuntur, meritisque destituti subsidiis miseram vitam ducunt (2). Mihi

(1) Obiit an.1550.

(2) Benedict. Mezini Satir.1. &c.

Mihi autem potior videtur infelicitatis huius causa invidia, & æmulatio, quæ eos commovet, atque incendit, si quid operis ipsi cœperint, festinatior alter in lucem emittat, si quis eorum inventa amplificaverit, si maiorem existimationem aliena scripta assequantur. Nemo sanæ mentis inficiabitur, dedecere sapientem virum, & ætate provectum huiusmodi stimulis affici, ac torqueri mente, quoties tranquillitatem animi in conflictum vanæ gloriæ traducit (*). Quid indignius gravi homini obiectari potest, quam nihil aliquem contra se cogitantem veluti hostem insectari, quod eadem studia prosequatur, quod felicius in his profecerit, communique consensu excellentiæ laus ei tribuatur. Nonne patet omnibus scientiarum palæstra, & cuilibet quanto pollet ingenio, fas est in ea gradum facere, novas, nobilioresque cognitiones comparare, & superegredi fines, in quibus alii se continuerunt? Unde tantum facultates sumpserunt incrementi? Unde tantus progressus in altioribus disciplinis? Nisi ex studio, & contentione recentiorum, qui laboribus suis veterum conatus feliciter superarunt. Caveant autem huiusmodi æmulatores, ne alieno invidentes nomini proprium amittant, accidit enim, ut qui æmulo suo detrahunt, eique nocere student, acerbas,

(*) *Non è il mondan rumor altro che fiato*
*Di vento, et or vien quinci, ed or vien quindi*
*E muta nome perchè muta lato.*
Dantes de Purg. Cant.XI.

bas, longasque contentiones inire debeant, & victi, atque confusi a certamine discedant (1). Quem latet æmulatio Erasmi in Budeum, quot modis clam, & palam virum de cognitione omnium antiquitatum optime meritum insectatus sit, ut facultatis illius principatum, ad quem contendebat, ei eriperet. Sed frustra; cum eruditorum suffragia illa in scientia Budeum Erasmo prætulerint, felicioremque in veterum monumentorum interpretatione iudicaverint. Longe antea præcesserat contentio inter Jo. Bapt. Poggium, & Laurentium Vallam (2), utrumque humanioribus litteris deditum, qui sibi invicem invidentes, non inter fines litterariæ exercitationis se continuerunt, sed mutuis scriptis diu acriterque se lacessiverunt. Quamvis autem clarissimus Ambrosius Camaldulensis, Florentiæ optimorum studiorum restitutor, eos ad concordiam adhortari non destiterit, haud satis constat, an illam obtinuerit. Multo aliter se gessit omnis litteraturæ inclitum lumen Petrus Victorius senior, Senator Florentinus (3), qui iam plurimum laboris impenderat pro eluendis mendis in politissimis scriptis Cornelii Celsi; ope, & auctoritate præsertim vetustissimi Codicis Bibl. Mediceæ Laurent., cum percepisset quemdam Sighisellium Bononiensem doctum, & accuratum virum correctio-



---

(1) Vid. Fleuri Hist.Eccl. Tom.xx. pag.295. edit.Venet.
(1) Laurent. Meus in vita Ambros.Camald.Generalis.
(3) Vitam P. Victorii ab Canonico Ang. M. Bandinio epistolis eiusdem præmissam.

ctionem illam suscepisse, & adfirmaret brevi vigilias suas editurum, ne laudi, & honori illius invidere videretur, omnem illam abiecit cogitationem, & quidquid potuit operis, ad ejus utilitatem, libentissime contulit. Quantam huiusmodi liberalitas Petro Victorio adtulerit laudem, quisque sibi fingere potest, cum in eo summa sapientia cum summa moderatione coniuncta refulserit. Illa etiam vel maxime enituit, cum quidam amicus scripta eius inique lacessita vindicare vellet, eum ab huiusmodi opere impense dehortatus est, ut alienus a iurgiis viveret, atque liberior gravioribus studiis animum intenderet. At partes eius, postquam maxima in senectute decessit, clarissimus Carolus Sigonius excepit, & Marcum Antonium Muretum qui multis iniuriis Victorium affecerat, validissime refutavit. Cum autem critices non ad explodendum odium, sed ad veritatem eliciendam impenditur, ingenui hominis est, eam gratam habere, & libenter audire, quippe non in privatam, sed in publicam vergit utilitatem; ea enim cognitiones augentur, doctiores libri in lucem emittuntur, scientiæ perfectiores, ditioresque fiunt, atque urbes in quibus efflorescunt, ad altiorem gloriam evehuntur. Sed nec acerba, nec iniuriosa, nec contra personas esse debet; amorem veritatis undequaque spiret, unde lectores doceat, & alliciat ad idem ferendum iudicium (1). Quæ vero opinio habenda erit de eo, qui

(1) Diuturnum, & acre fuit certamen inter equitem Leonardum Salviatum, & Torquatum Tassum, quod hic in suo

qui longos post annos, controversiam pene oblitam iniuriis, calumniis, apertisque mendaciis obtrudere ausus est, nisi eum tamquam maligno spiritu, & furore laborantem esse despiciendum? Turpe quidem est, vilisque hominis alterius nomini invidere, & clam per anonyma scripta ei detrahere; cum non veritatis promovendæ zelus; sed maledicendi æstus eum dominetur. Optimum est ergo huiusmodi furfuris adversarios minimi pendere; immo si quid aliud idem auctor emissurus in lucem paravit, invicto animo publici iuris faciat. (1)

Contentiones litterariæ inter privatos facile componi possunt, non item publicæ; cum de civitatis universæ gloria, & nomine agitur; plures enim ad defensionem patrii honoris impulsi, omnes laxant habenas, ut inflictam iniuriam propulsent. Florentiæ iam pluribus annis iucundo domicilio perfruebar; cum quidam publicus Rhetor pro inauguratione studiorum publicam habens orationem, Florentinorum eloquentiam, ut verbosam, enervem, iocosamque exagitavit. Huiusmodi censura gravissima, ne dicam vilipendium, coram ipsis doctissimis Florentinis, qui plurimi aderant prolata, cum ad

 ira-

Poemate de Hierusalem liberata italicas quasdam voces non secundum Etruscam puriorem linguam usurpasset. Plurima hinc inde scripta prodiere docta quidem, & uterque magno cum æstu suam defendit sententiam; sed tandem veterem amicitiam huiusmodi præclari viri simul conciliarunt. Vid. Serassium in vita Torq. Tassii.

(1) Ita se gessit doctiss. Lamius qui censores suos eruditione multa confutavit. Vid. Præfat. in 1. T. Op. de Erudit. Apostol.

iracundiam provocasset, magnum, acerbumque bellum contra Oratorem excitavit. Hic palinodiam canere detrectans, quamvis plurimi ex suis eum adhortarentur, certamen lubens inivit. Ex utraque parte multa seria, & ludicra prodiere poemata, scriptiones multæ urbem inundarunt; in Accademiis hic unus sermo; neque ullus fuit litteratus homo (plures profecto erant maxime culti, & arguti) qui ad patriæ decus defendendum animos non adderet, & pro impressione librorum æs suum non erogaret. Menippeas nomino robusto stylo conscriptas, sermones ad Thraseomachum, plures pastorales cantilenas &c. quæ sale non minus, quam lepore erudiebant, & delectabant. Hac in pugna diu certatum est, non absque magna animorum commotione, & meliorum studiorum iactura; sed pro patria pugnare unusquisque sui muneris esse arbitrabatur. Tandem Rhetor ille Florentia profectus est, datis eruditionis suæ argumentis multis; at multo carior, & celebrior extitisset, si a critice, & ab æmulatione se temperasset. Hæc commemoratus sum, ut docerem, semper vitanda esse huiusmodi litteraria certamina, illa præcipue, quæ non veritatis amor, sed mordendi livor incendit; quæque nullam pariunt utilitatem; verum torquent ingenia, ad odia animos commovent, & detrimentum melioribus studiis adferunt.

CA-

## CAPUT VII.

### *De librorum delectu, & copia.*

DUO litteratorum genera mihi hic consideranda occurrunt; unum eorum, qui cum senescunt, libris omnino valedicunt; alterum, quorum comparandorum librorum insatiabilis est cupiditas. Utrique a vitio, quo laborant, sunt revocandi. Primi equidem cum assueti fuerint tempus utiliter impendere, novisque cognitionibus se exornare, si immutata tam laudabili, iucundaque vivendi consuetudine, otio se præbeant, in tristem socordiam, & inertiam decidunt. Sed & aliud gravissimum incommodum ipsis accedit. Neminem latet, quod cum senectus ipsa reminiscentiam languidam, tardamque reddat, nisi quotidiana lectione quodammodo irrigetur, arida omnino sterilisque fit, sibi molesta, ineptaque eruditorum societati. Quam vim patiuntur immemores, dum aliquid legisse, & percepisse sciunt, & extemplo eos fallit memoria! quare in anachronismos offendunt, nomina propria corrumpunt, & vix titulos librorum præsentes habent. Dimissa lectione, quæ pabulum mentis dicitur, multarum rerum fit oblivio, & si quid scitu opportunum exquiritur, non nisi post multam investigationem obtinetur. Magna autem lætitia, & voluptate gaudent boni senes, si eisdem de rebus disserere valeant, quæ ante plures annos tractarunt, si iustum iu-

dicium

dicium proferant, & ingenio non minus quam memoria comparati videantur. Hoc singulare beneficium, hoc senectutis ornamentum, hoc vitæ ad finem labentis solamen non nisi ab optima, ac frequenti lectione obtinere possunt; quare classicos præcipue auctores sub oculos habeant, in eis maiores, utilioresque cognitiones hauriant, vel reviviscere faciant. Facultates enim quo magis coluntur, eo maiorem præstant menti oblectationem.

Nonnulli satis memoriæ facere putant, si summa rerum capita, vel indices, vel repertoria interdiu percurrant. Concedo equidem notiones illas valde utiles, ideoque optime meritos haberi auctores, qui lucubrationes suas illis exornant; sed consultius agunt, qui novis meditationibus tractatus perpendunt, plenamque de illis cognitionem comparare laborant. Fessæ, aiunt aliqui, debilesque vires mentis, serium, assiduumque studium ferre non valent; ideoque senibus amœniores, iucundioresque litteræ potius sunt excolendæ, quæ eruditionem alunt, non contentione fatigant. Unusquisque sui ipsius iudex est; utrum scilicet a litterario cultu abstinere debeat; an vero operam aliquam in litteris adhuc impendere sufficiat. Hortatione non indigent ad vigilias in libris prosequendas, qui toto vitæ suæ tempore illos prædilexerunt; eo enim habitu, eademque amplioris scientiæ cupiditate impulsi moras nesciunt, ingenii conatus pro deliciis habent, neque felices dies se ducere putant, nisi in litterario cursu longius progre-

grediantur. Prodest enim ipsis auctorum cognitio, ut sibi duces faciant, qui clariorem methodum tenent, qui firmioribus persuadent argumentis, qui inutilibus omissis quæstionibus, res graves, & utiles pertractant. In his spatiantur, in his dulciorem capiunt voluptatem, ut eam cunctis aliis oblectamentis præferant, & ne deficiat, novis semper acquisitionibus Bibliothecam suam augent. Et ecce ad alterum litteratorum genus descendimus, quorum comparandorum librorum luxuries intra quosdam fines est coercenda, certisque legibus moderanda.

De publicis Bibliothecis primum loquar, dein de privatis. Quæ ad publicam utilitatem institutæ sunt Bibliothecæ omnium facultatum autores præcipuos, tam veteres, quam recentes habere debent, ut ad eas confluentes copiosam eruditionis messem referant. Mentem sane fundatorum curatores fraudarent, si alio redditus distraherent, si utiliores libros non compararent, nec quanta opus est diligentia custodirent. In veteri adhuc barbarie versari mihi videntur urbes illæ, quæ Bibliothecis ad publicum usum destinatis carent, ex quarum defectu ignorantia regnat, vitia, & corruptelæ incolas omnes invadunt. Quid si apud Regulares suis sumptibus instructæ extabant Bibliothecæ, utilesque civibus suis erant, dimissis immerito ipsis, dispersæ sunt, vilique pretio venditi libri? Hæc tanta mihi videtur præsentium, & futurorum populorum calamitas, ut peius cum hostibus actum non fuisset.

Sed

Sed ad Bibliothecas privatas nos convertamus; meritisque laudibus munificos efferamus institutores; quorum satis commendari nequit litterarum amor, & discendi cupiditas; cum sibi, posterisque suis omnium veluti scientiarum hospitium paraverint. In hoc a mundano strepitu remoti delicias suas inveniunt, amicis familiariter utuntur, dies festos, nefastosque agunt, vel sua iam edita opera illustrant, vel alia nova moliuntur. Verum hæc, quamvis innocens vitæ iucunditas, quam capiunt aliqui in magna librorum copia, nisi certis finibus contineatur, gravis nimis proprio censui fieri potest, nimioque studio suæ nocere saluti. Quæ utilitas in tantis eiusdem auctoris editionibus, quas aliqui nullis parcentes sumptibus sibi curant? Scio quemdam plurimas Homeri editiones, pluresque Platonis, Aristotelis, aliorumque Græcorum, & Latinorum Scriptorum volumina magno ære comparasse. Quid etiam ad eruditionem tam sumptuosa librorum concinnitas? Quid impressionis venustas, nisi ut litterariæ pompæ serviant, & negotiationi materiam præstent? Florentiæ amicum habui Jurisconsultum, doctrina non minus, quam probitate conspicuum, qui quamvis ædes suas libris cuiuscumque generis repletas haberet, additis præcipue duorum fratrum præmortuorum Bibliothecis, ad extremam usque senectam, fere numquam sine aliquo libro domum redibat. Sciscitantibus amicis, cur dispendio illi non parceret, & ætatis suæ commodis melius non consuleret, subridens respondebat,

debat, nihil sibi deesse, nisi tempus, quo magis librorum lectione frueretur. Sed laudandum potius quam imitandum præclarum virum hunc dicerem, quia bona quidem, & delectabilis est selectorum librorum copia, cum adsint reliqua ad honestam, commodamque vitam necessaria; si vero quis in angustiis versetur, ac ære alieno gravetur, stultus, non sapiens reputabitur. Si alius aliqua præcipue facultate delectetur, optime sibi consulit, cum Scriptores in ea excellentes acquirit, illosque perlegit, ac meditatur. Utrumque est necessarium; nam lectio sine meditatione fugax est, & meditatio sine lectione parum progreditur. Valde etiam ad perfectam scientiam conducit auctorum collatio, qua non tam styli diversitas agnoscitur, quam rerum inventio, & producendæ rationis vis, atque felicitas. Hi tamquam duces, & magistri haberi debent, qui ceteris excelluerunt; præsertim si eorum nomen tam ab antiquis, quam a recentibus auctoribus commendatum inveniatur. Restat coronidis loco ut aliqua de Codicibus MSS. dicamus. Maximæ habendæ sunt grates Monachis tam orientalibus, quam occidentalibus, qui ad sui usum SS. Patrum opera exscribendo ab interitu vindicarunt, adeoque sacras Scripturas diversis in linguis translatas, itemque prophanos scriptores de elegantia latini sermonis optime meritos ad posteritatem servarunt. Si quis ergo Codices aliquos ante decimum seculum, vel etiam tribus, aut quatuor seculis posteriores exaratos, acquisiverit, præcipue si ali-

aliquid ineditum ex SS.Patribus complectantur, illos, ut pretiosa antiquitatis monumenta, custodiat, nec umquam sibi eripi permittat.

## CAPUT VIII.

### *De Genio in litteris obsecundando*. (1)

QUid sibi velit hoc nomen genius, opus non est, ut multis exsolvamus; usurpatur enim pro quadam vivida animi, sive mentis inclinatione ad aliquid agendum, pro quo veluti a natura electus, & formatus videtur. Sicut Deus animantibus quibuscumque peculiarem instinctum dedit, ut sua unumquodlibet quærat, & agat; ex qua differentia varietas specierum, & proprietatum resultat; ita comparati sunt homines ingenii acie, voluntatisque affectione, ut ad aliquid præstandum promptiores sint, ac feliciores. Ne de notissima re longius disseramus, qui studiis vacarunt, maioremque vitæ partem in illis insumpserunt, experti sunt, utrum inspirantem genium secundarint; an eum invitum labore, & contentione superarint (2). Potest quidem industria in arte valere plurimum, sed nisi adsit naturæ genius, vi expressa, & coacta videntur opera, quæ producuntur; carent enim elegantia, nobilitate, ac facilitate, qua clarescerent,

(1) Vid.Murat.Tract. de viribus intellectus humani cap.25. pag.338.

(2) Vid. Jo. Ant. Gratiani Ep. Amerini opusculum: *De scriptis in vita Minerva*, quod Clariss. Hieronym. Lagomarsinius Soc. Jesu primus in lucem edidit.

rent, genio in eis dominante. M.Tullium scimus composuisse carmina; sed cum ad poesim non ferretur, sed ad eloquentiam, Oratorum quidem princeps evasit; at vates nullius gloriæ fuit. Ovidius vero ad musas natus, quidquid conabatur dicere, versus erat. In poesi Italica Dantes Alligerius, Franciscus Petrarca, & Torquatus Tassus palmam supra ceteros vates retulerunt, qui a parentibus ad Jurisprudentiam addicti, natura repugnante; cum parum aut nihil in ea proficerent, vix sui iuris fuere, musis se consecrarunt, & admirabiles, ac pene divinos se reddiderunt (1). Quid dicam de Galileo Galilei, cui Astronomia immortale nomen comparavit, quod a Vincentio eius genitore, Philosopho, & Mathematico, iuvenis adhuc illis facultatibus deditus fuit, & ingenio sublimi ad eas excolendas præditus, naturæ arcana penetravit, altaque cœli supergressus, nova sidera detegit, novasque planetarum orbitas designavit. Petrum Victorium superius commendatum præterea commemorabo, qui plura studiorum tentamina expertus, ut pridem Guilelmo Budeo acciderat, ad Græcas, Latinasque litteras totum se consecravit, in quibus adeo versatus fuit, ut eruditissimus, & doctissimus tota in Europa celebraretur, nullusque Scriptor aliquid sui in lucem emittere audebat, nisi pridem eius approbationem obtinuisset (1). Ubi longa in exercitatione

(1) Idem de celeb. Ludovico Ariosto testatur in eius vita Jo.Bapt. Pigna edit. Flor. apud Junctas 1626.

(2) Clariss. Angelus M.Bandinius in vita Petri Victorii, &

maior felicitas reperitur, ubi natura liberalior se prodit, ibi omnis cura, omneque studium tribuendum est; periculosum enim est iter, quod ignota in via tentatur. Fateor equidem non quamlibet ætatem ad easdem excolendas facultates idoneam esse; quoniam aliquæ, ut poesis, & eloquentia quemdam vividiorem sensum, fervidamque motionem requirunt, quibus senes plerumque carent. Profecto id apparet in pictis tabulis; longe enim venustiores, elegantioresque emicant, quas manus firma, geniusque vigens pictoris elaboravit; quæ autem ab auctore senescente formam acceperint, multo inferiores sunt; languor siquidem, cadensque ars in illis conspicitur (1). Sed forsan quis postulabit, cur non semper cum volumus, mente integra, & valetudine, carmina scribere, aliaque ingenii opera perficere valemus? Idem genius vigilat in nobis, eodem animo recogitata producere cupimus, nihilominus magna idearum sterilitate laboramus, quæque obveniunt, ad rem non faciunt. Alias vero quodam impetu rapimur, & celeriter, feliciterque explemus quæ nequicquam antea fueramus aggressi. Quid hac in quæstione sentiam, exponam. Quorum opinio est, animam nostram semper cogitantem esse, eiusque na-

---

elogium in splendida illustrium Etruscorum virorum collectione typis Josephi Allegrini.

(1) Id meis diebus Florentiæ Josepho Bonechio accidit, qui iuvenis elegantissime pinxit, senior autem quas formabat tabulas, longe dissimiles prioribus erant.

naturam, seu essentiam in actuali cogitatione collocant (1), putant ideas, species, seu imagines rerum, quæ opportunæ sunt, non statim in nobis oriri, sed ex collectione conceptuum, comparationeque produci; quæ actio tota est intellectus, sensu, & phantasia nihil agente. Id Poetæ, Philosophi, & Oratores nonnulli fassi sunt; in somnis scilicet fecisse versus, argumenta, rationesque sibi obvenisse, quas etiam post diuturnam meditationem assequi nequiverant. Oportet igitur, ut anima intus agat, ideas eliciat, & promptas intellectui exhibeat (2).

In aliorum autem hypothesi, qui dicunt animam secundum corporis dispositionem operari, ex maximo vinculo, & relatione, quam Deus inter utrumque posuit, mentis actiones a corporis instrumento excitari aiunt, ut scilicet ubi liberior sit mens a materia, qua circumdatur, tunc in cogitando agilior, subtiliorque fiat, & quasi e corporis indumentis exportetur. Idem confirmant exemplo eorum, qui in regionibus purio-

---

(1) Vide Cartesii secundam meditationem, ubi exponit illud principium: *Ego cogito, ergo sum*. „ Sum, inquit, „ præcise tantum rem cogitans, idest mens, sive animus, „ sive intellectus, sive ratio, voces mihi prius significatio- „ nis ignotæ: sum autem res vera, & vere existens, sed qualis res? dixi cogitans. „ Hoc certitudinis principium Cartesius a D.August. desumpsit lib. x. cap.26. de Civit. Dei; quemadmodum observavit Muratorius in cap.15. tract. de viribus intellectus.

(2) Vid. eumdem Murator. Tract. de viribus phantasiæ cap.17. pag.212. & seq.

rioris aeris nati alacriori pollent ingenio, scintillant oculis & acumen quoddam loquendo manifestant. E contra vero qui in locis infimis, & paludosis natalem habuere, tarditate multa laborantes, propter humorum copiam, longe maiori studio, & labore indigent, ut aliquid eximii operis perficiant. Qui ergo genius in his dicendus erit, quæ indoles suis in studiis dominabitur, si ab externis circumstantiis, & conditionibus coercetur? Commune fert adagium laborem improbum omnia vincere, nec ab incœpta via revocandum gressum, quamvis plures difficultates obviam fiant, ubi priores feliciter superantur, animusque sui progressus sentit voluptatem, eo mirabiliter incenditur, ut, sublatis obicibus, finem suum assequatur (1). Ferunt Archimedem sphæram condere sibi proposuisse, in qua designatis quibusdam circulis, seu circumvolutionibus maioribus, & minoribus a centro, & ab utroque polo non æque distantibus, siderum, planetarumque motus, & phases, variamque telluris faciem soli obiectam exponeret. Rem sublimis ingenii experimentum aggressus, tantis observationibus, tantisque meditationibus prosecutus est, ut admirabile opus illud tandem perficeret, & sistema pro intelligentia aspectus, cursusque corporum cœlestium stabiliret (1). Quid

(1) *Non est vir fortis, & strenuus, qui laborem fugit; verum ubi illi crescit animus ipsa rerum difficultate.* Senec. lib. 1. Ep. 22.

(2) De eo agit Cicero lib. 2. de Nat. Deorum. Alterum spheræ auctorem refert idem M. Tullius, Possi-

Quid dicam de inventione acus magnetici ad moderandam in incognitis maribus navigationem (1)? Primi eius auctores qui fuerint, incertum est; sed eos multis vitæ discriminibus in tanta pelagi vastitate, & varietate se exposuisse oportet, ut tutam acus magnetici directionem & inclinationem designarent, eamque navigantes haberent tamquam regulam, qua cursum suum dirigerent. Nemo igitur de natura, aut genio sibi non propitio queratur; ab ignavia potius, & otio exsurgat; aliquod in litteraria provincia facinus, opportunum tempori, utile reipublicæ, atque a doctis viris commendandum sibi proponat. Non eum deterreat quorumdam dicacitas, aut invidia; qui vel impares ingenio, cum nulla doctrinæ suæ præbeant specimina, operosis detrahunt auctoribus, eorumque opera, ut obscurent, vilipendunt. Hoc genus hominum, quod vulgo confunditur, quamvis a vulgo origine, habituque distinguatur, nihili est habendum, cum perbrevi vita eorum vanitas, & maledicentia interibunt.

---

donium nempe, *cuius singula conversiones idem efficiunt in sole, & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cœlo singulis diebus, & noctibus*. Eod. loc.

(1) De pixidis nauticæ inventione disserit Gilbertus Charles le Gendre Tom. II. de opin. pag. 33. eamque antiquissimam putat, ad veteres Cinenses referens.

CA-

## CAPUT IX.

*Nihil impar viribus, & vitæ tempori scribere quis aggrediatur, quod imperfectum remaneat.*

QUI bellum otio perpetuum indixerunt, qui senes ætate, sed non mente, firmaque gaudent corporis valetudine, cum nihil iucundius ipsis fuerit, quam studiosam vitam legendo, scribendoqne traducere; ab assuetis litterarum occupationibus contineri nequeunt. Si enim iam aliqua in lucem emiserint, & approbationem, laudemque apud sapientes invenerint, alia instaurare satagunt opera, ne fastidiose reliquos dies suos agant; sed quoad libuerit, publicæ conferant utilitati. Commendabile hoc desiderium dicam, nobilemque viri gravis occupationem. Attamen hac in re adhibendus est, modus, ut habita ætatis suæ ratione, quod producendum quis aggreditur, talibus finibus sit circumscriptum, ut probabili spe fretus, antequam naturæ debitum solvat, perfecte explere possit. Iacent enim pabulum tinearum, blattarumque incæpti tractatus, non absoluti, emptorumque fidem fallunt, qui primo, vel altero volumine comparato, reliquos expectant, numquam fortasse visuri finem. In aliud etiam grave discrimen offendunt senes, qui nimis ardua, nimisque prolixa themata edere moliuntur; scilicet, quod cum breve tempus vereantur diuturnio-

nioris vitæ non satis digestæ, eliquatæque sunt res in tractatu propositæ. Vel enim inæqualitate styli laborant, vel quas afferunt rationes adeo debiles, & infirmæ sunt, ut non persuadeant veritatem. Cum minus valeant corporis vires in senectute provectis, minor etiam est vis mentis, & acies; ideoque nec tanta sedulitate vacare possunt studio, nec cuncta assequi ingenio, quæ sunt assequenda. Pythagoras, & Socrates Philosophiæ summi parentes, verbo, non scripto cognitiones suas, & documenta tradiderunt, vel ut liberius eorum auditores in veritate investiganda agerent, vel maiorem dictis suis adsererent auctoritatem. Singulares in hoc extitisse consentiunt omnes, nec illos imitati sunt Plato & Aristoteles, aliique in Philosophicis disciplinis maxime celebres, qui scripta multa reliquerunt, multorumque ingenium in eorum interpretatione exercuerunt. Ego vero censerem mediam viam senibus esse tenendam; scilicet, ut quantum licet, scribant, eaque voluptate tædium relevent senectutis; sed scriptorum suorum editionem posterorum iudicio relinquant. Nihil ipsi, nisi litterarum utilitatem præ oculis habentes, iudicabunt, an publicam lucem mereantur; tantoque libentius excipientur, quanto maior erit eorum auctoritas, qui ea probarunt, atque a tenebris eruerunt. Non timeant frustra laborasse senes, si quæ scripserint, ante obitum typis non ediderint; studeant potius in scribendo tractatus utiles, eximios elegantia, & nobilitate posteritati tradere; serius, aut ocius dies com-

mendationis, & gloriæ eis lucebit. Plures elucubrationes Petrarca, Bembus, Casa, Navagerius, infinitique alii ineditas reliquerunt; sed prælo commissæ, atque a doctis editoribus illustratæ, in omne tempus celebrabuntur, & principem locum in poesi Italica, in eloquentia, atque in eruditione obtinebunt. Constat etiam scriptores aliquos tum Poetas, tum Oratores ad talem, tantamque sublimitatem scribendo contendere, ut pene numquam de suo, nec de aliorum iudicio contenti, editionem protrahant, quandoque recusent (1). Ne nimiam propter hæsitationem egregia opera depereant, non sine litterarum detrimento; ea qua valent perfectione auctores absolvant; exsurget processu temporis æstimator aliquis, qui ad publicam utilitatem edere curabit (2).

Tandem animadvertant senes, qui in scribendis libris delectantur, ut si scholæ alicuius, vel opinionis sint sectatores, ne nimis sententiam suam urgeant, & oppositam deprimere, & proscindere conentur. Adversarios enim habebunt quotquot eam defendunt; & ita inter utrosque dissentiones acerbæ excitabuntur, quæ detrimento potius, quam utilitati optimis studiis

---

(1) Vide vitam Torquati Tassii ab eruditissimo Serassio editam an. 1791.

(2) Clariss. Julianus Sabbatinius, Ordinis mei decus eximium, primum apud Cæsarem Carolum VI. Raynaldi Mutinensis Ducis Legatus, dein Episc. Mutinen. plura reliquit scripta, tum sacra, tum variæ eruditionis; quæ post eius obitum Venetiis edita fuere.

diis erunt. Caveant etiam, ne auctorem aliquem quæsito titulo, aut prætextu conviciis aggrediantur, cum quo nulla fuerat ante causa querelæ. Non enim conducit ad pretium operis alterius nominis affectata detractio; immo nocebit plurimum hostiliter egisse, & ad vindictam, severioremque criticen provocasse. Amor veritatis in scriptis refulgeat, nec malevolentia, aut partium studium virus suum immisceat. Hæc fugienda sunt, quatenus dignitati ac honestati scriptoris maxime obsunt. Aliqui e contra adulationibus nimium indulgent, ut tanto magis comparatis patrociniis, & laudibus clarescant. Fateor equidem id nulli nocere, & condonari posse; verumtamen huiusmodi præmium ex ipso labore, & operis merito est expectandum; non enim deerunt æqui æstimatores, qui de præstantia doctrinæ testimonium præbebunt. Tunc profecto laudis remuneratio, & gloria eis accedet; atque singulari hac fruentur voluptate, neminem in scribendo provocasse, sed pacem, & amicitiam cum omnibus coluisse, quod grandem tota in posteritate illis adserit commendationem. Unum mihi addendum superest; scilicet si quis memor sit olim ferventiori ætate aliqua minus casta, & non consentanea veritati scripsisse, ea ad finem appropinquante, exemplo clarissimorum auctorum retractare, & corrigere studeat (1), ut quamlibet erroris, & scandali maculam penitus abluat, atque abstergat.



(1) Vid. Clariss. Franc. Antonii Zaccariæ de Catholicor. Viror. Retract. Romæ 1792.

## CAPUT X.

*Sapientes vere sunt, qui numquam satis se didicisse profitentur.*

SApientissime dictum a Platône accepimus, artem longam, vitam autem nostram brevem. Vix enim unius, aut alterius facultatis amplitudinem inspiciamus, tot tantasque cognitiones ad eam perfecte possidendam invenimus necessarias, ut numquam sit satis labor, & studium, quo illam prosequimur, & comparare conamur. Qui poesi, vel eloquentia, aut philosophia delectari incipiunt, & quos in illis floruisse perspexerint, statim cum longo intervallo se distare perspiciant, diuturnos labores, vigiliasque sibi opus esse agnoscent, ut eorum excellentiam, & doctrinæ nomen assequantur. Si vero pluribus scientiis exornari contendant, multo laboriosior erit in unaquaque progressus; cum pluribus intentus, minor sit ad singula sensus. De arte Oratoria, omissis aliis, verba faciamus. Quot nam requiruntur, ut quis bonus Orator fiat? Elegantia elocutionis primum niteat, oportet; robusta sit, & opportuna argumentatio, sententiarum, exemplorumque copia, legum peritia, & quarumcumque historiarum ornamentum, ne ieiuna, & incompta fastidiat oratio. Initium dicendi a natura homines accepisse, docet Quintilianus (1); sed studium, & orationis incrementum

(1) Instit.lib.3.c.11. ed. Lugdun. apud Gryph. an.1549.

tum dedisse utilitatem, rationem, exercitationem. Quamvis cum aliquibus natura liberalior fuerit, & gratia, & facundia in dicendo polleant; attamen, ne verborum congeries videatur oratio, optimis præceptis est moderanda, eruditione illustranda, numeris quibus instrui debet, constituenda. Narrat de Cicerone Laertius (1), cum Rhrodi Apollonium orationem dicentem audiret, tanta captum fuisse admiratione eius eloquentiæ, verborum delectu, argumentorumque robore, ut stupefactus se omnino imparem fateretur. Romam inde reversus, ut Romani Græcorum Rhetorum præstantiam æmularentur, summo studio, collatis melioribus auctoribus, tractatum scripsit de Oratore (2), quo copiose, & eleganter tradidit quidquid ad perfectam dicendi artem confert, & observari debet. Si vero cum Oratore natura parca fuerit, tanto maiori industria, & labore utendum est, ut nihil desit in sermonis elegantia, ubertate conceptuum, proprietate similitudinum, & causam, quam suscepit agendam, probationem, & laudem accipiat.

Cum contemplor animo, quid ferat ingenium, non aliud mihi occurrit, quam opportuna reminiscentia, ususque cognitionum, quas pri-

(1) In vitis Philosophor. ab Equite Leonardo Salviato Italice redditis edit. Venet. 1598.

(2) Hoc egregium opus Petrus Soderinius Collega, & amicus meus, optimis facultatibus ornatissimus, ad usum Scholasticorum nostrorum eruditis commentariis Florentiæ illustravit an.1762.

pridem comparavimus; quare sapientissime Socratem dixisse ferunt: *Scire nostrum est reminisci: tantum scimus, quantum memoriæ mandamus*. Quæ cum ita sint, quis inscitiam eorum non arguet, qui sapientes videri volunt; dum vix absoluto primo litterarum curriculo, aut studium omne dimittunt, aut in titulis, compendiisque librorum vagantur? Cum hæc studendi methodus mentem inertem sinat, quoniam nonnisi pervolvendo, perscrutandoque perceptas rerum species ipsa exerceatur, quæ olim comparavit, dediscit, nec ultra progredi valet. Quare optime dixit Cicero de Senect. *Manent ingenia senibus, modo permaneat studium, & industria.* Nequicquam pro his ignavia laborantibus factæ sunt, fiuntque in dies facultatum accessiones; nequicquam in physicis nova addita inventa; nequicquam in theologicis dogmatibus recentiores confutati sunt errores; nequicquam in iurisprudentia sapientum prolata sunt responsa. Non enim proprium est scientiarum, disciplinarumque consenescere; sed vividiores, vegetioresque reflorescunt; qui autem vetustas, ac pene obsoletas cognitiones solum diligunt, emortuum in se animi sensum, factamque in illis insipientiæ nubem demonstrant. Sollertiores autem scientiarum cultores, sic priora fovent lumina, ut novis magis magisque locupletentur acquisitionibus; viatorum instar, qui ex una in alias migrantes regiones, terra, marique incognita loca detegentes, ampliorem orbis theatrum sibi aperuisse gaudent. Qui vero piger e patriis lari-

laribus non egreditur, nec extra ipsos alium mundum noscere curat, in tenebris eum prope vivere dixerim; cum rerum cognoscendarum lucem undequaque diffusam despiciat. Haud dissimili modo res se se habent cum illis, qui satis se didicisse præsumunt, & vigilem, operosamque in studiis vitam, in somniculosam, inertemque convertunt. Summopere deplorabilis est iactura, quam faciunt temporis, doctrinæ, suique nominis; cum non ea, quæ olim egerint, alliciant animos, & in pretio ducantur, sed quæ donec vivimus eximia præstamus gesta, laudi, & merito deputantur. Sæpe miratus sum quosdam penitus oblitos operum, quæ ab optimis Scriptoribus edita fuere; ideoque si ipsi nihil ulterius agunt, despiciuntur, atque ab omni excidunt existimatione.

Verum si huc usque dicta non satis persuadeant, numquam a studio vacandum esse, Socrates audiatur aiens: *Maximam partem eorum quæ scimus, esse minimam eorum, quæ ignoramus*; quod cum verissimum sit, oportet, ut donec est alitus in nobis ab augendis cognitionibus operam non intermittamus. Præclara habemus ex Cicerone summorum virorum exempla, qui maxima in senectute eam, quam in meditando, scribendoque tenuerant sedulitatem, numquam relaxarunt. Plato unum, & octogesimum annum agens, dum aliud exarabat opus, mortuus est. De Isocrate refert Cicero, eum librum, qui *Panathenaicus* inscribitur, quarto, & nonagesimo anno scripsisse, & quinquennium ultra

ultra vixisse. Admirabilior eo fuit magister eius Leontius Gorgias, *qui centum, & septem complevit annos, neque umquam in suo studio, atque opere cessavit; qui, cum ex eo quæreretur, cur tandem vellet esse in vita; nihil habeo, inquit, cur incusem senectutem* (1). De pluribus aliis doctis senibus idem testimonium præbent Cicero, aliique Scriptores posteriora tempora referentes, quorum exitus vitæ fuit studiorum finis; & de se ipso idem Cicero fatetur, senem Græcas litteras didicisse. Sed ne huiusmodi gloria Philosophis ethnicis tantum tribuatur; plures SS.Patres fuere, qui maximi habentur in Ecclesia, eadem siquidem digni sunt commendatione, ex quibus Ambrosium, Augustinum, Bedam nominabo. Primus enim ætate gravis, & infirmus ad Psalmorum interpretationem incumbens, cœpto Psalmo 47. obiit; Augustinus autem nonagenarius, dum contra Julianum Pelagianum scriberet, migravit ad superos, imperfectumque opus reliquit. Ita de Beda Sigibertus suis in Chronicis narrat, quod cum valde senuisset, & in exponendis sacris Scripturis totus esset, interiit. Hi ergo vere sapientes fuerunt, qui numquam satis didicisse professi sunt, eademque animi alacritate, qua vegetioribus annis sapientiam coluerunt, etiam extrema in senectute ab ea diligenda non destiterunt.

(1) Vid. Librum de Senect. Lugud. Batavor. apud Petrum Vander. an.1692.

# LIBER TERTIUS

## DE VITA SOCIALI

### CAPUT I.

*Si voluptatum illecebræ iuvenem a virtute non avocaverint; cum senuerit, nullo mœrore inopia afficietur.*

HUiusce sententiæ auctor M. Tullius optime novit difficultatem maximam, in quam offendunt senes, qui ab inveterata consuetudine, qua omni voluptatum licentiæ dediti fuere emergere exoptant, & serium castigatumque vitæ genus amplecti. Non latebat sapientissimum Philosophum, & Oratorem, quantam vim homini faciant deliciarum, oblectationumque habitus, ad quas ipse natura sua fertur, & inclinatur, ut nisi ab iuventutis primordiis nativam propensionem quis virtute moderetur, infelix mancipium earum fiet. Quod si, negante ætate, iisdem oblectamentis indulgere nequeat, eiusque societas amicis iniucunda reddatur, difficile dictu est, quo mœrore luctuque afficiatur; cum videat, nihil sibi reliqui esse, quam languescenti succumbere senectuti. Res autem aliter se se habet de iis senibus, qui sobrie, casteque vixerunt; qui & si societates frequentaverint, conviviis etiam amicorum interfuerint, solatia suis temporibus ceperint; cum honestatem, & temperantiam socias voluerint, libenter cedunt æta-

ti,

ti, quæ ipsa amplius perferre nequit. Si enim rationis moderamine, virtuteque comite illecebrarum insidias effugerunt, ubi maior erat proclivitas, maiusque pondus in illas; iis ætate provectis, lætitia quanta erit, victores ab omni conflictu egressos esse, & abstinentia, firmitateque animi cuncta incitamenta contudisse? Numquam illi opinioni adsentiar, qui coniugium pro felicitate vitæ cœlibatui anteponunt. Omitto loqui de curis multis, quas status coniugalis secum adfert, & utrumque statim comparabo, ut videamus quale ex his ad tranquillitatem animi, ad concordiam sensus cum spiritu, ad rationis ordinem magis conducat. Jactant coniugii fautores dulcem iucundamque cum conjuge societatem, prolis solamen, remedium naturalis infirmitatis, quæ semper sollicitat, & ab Apostolo tribulatio carnis appellatur. Bonum igitur coniugium, sine quo multa homo patitur incommoda non uxoratus, qui ad inhonestas, & noxias etiam pertrahitur voluptates. Ex opposito cœlibes se feliciores dicunt, quod numquam matrimonium noverint, cuius iugum gravissimum est, atque promiscua servitus usque ad mortem indissolubilis. Si vero de interiore homine agatur, compressis ferventioris iuventæ motibus, qui gratia Dei, & religionis lege coercentur, nisi quis eos provocet, aut periculis se exponat, immunis ab eis erit, & si quid adversum etiam senserit, virtute proposita, habituque eius facile superabit. Non præstolabitur ergo senectutem, ut concupiscentiæ ignis in eo extinguatur; in-

no-

nocuæ erunt cogitationes, puri affectus, mens dominabitur corpori, tranquillos dies, tranquillasque noctes habebit, & quod maius est, si gravis ætas ei reliquas voluptates interdicat, quoties honestam, continentemque vitam duxerit, hac una magna cumulabitur iucunditate. Sed altius ego repeto viri cœlibis felicitatem. Quamvis non sentiam cum Platonicis animos hominum ab initio rerum creatos a Deo, & habitatores siderum constitutos; sed nativam eorum creationem efformatis corporibus fatear (1); attamen maximi habenda mihi videtur nobilitas animi, qui purissimus ex Dei manibus egreditur, & eandem naturam, easdemque proprietates carni copulatus non amittit. Si ergo transacto plurimo vitæ mortalis tempore, spiritualis suæ regenerationis innocentiam, divinæque gratiæ inæstimabile munus servasse conscius sit, si terram habitasse comperiet, sed tenebras, labesque eius evasisse; tutum reditum in cœlum sperabit, & antequam hac custodia exsolvatur, iam

(1) De origine animæ vid. Ep. 58. lib. 1. S. Hieronym.

*Apri a la verità, che viene il petto:*
*E sappi, che si tosto come al feto*
*L' articolar del cerebro è perfetto;*
*Lo motor primo a lui si rivolge lieto*
*Sovra tant' arte di natura; e spira*
*Spirito nuovo di virtù repleto:*
*Che ciò che trova attivo quivi, tira*
*In sua sustantia, e fassi un' alma sola*
*Che vive, e sente, e se in se rigira.*

Dantes de Purgat. Cant.XXV.

iam anticipato gaudio eius perfruetur. Illuc cogitationes eius ascendent, illuc sua mittet desideria, & ferventiora diriget vota, atque ut cum Apostolo loquar, eius conversatio in cœlis erit. Dicam autem cum veritatis Magistro, non omnes capere verbum istud, castimoniam scilicet coniugali statui esse præferendam, eamque homines in terris similes Angelis reddere. E contra tanta vi perstringit, ligatque animum coniugii conditio, ut libere vacare spiritualibus nequeat, & ad cœlestes, propter quas conditus est, delicias contendere valde laborat. Hæ numquam fastidium pariunt, quemadmodum sensuales voluptates, quæ cito satiant, nimioque usu in perniciem vertuntur: ubi summa bonitas, sapientia, & sanctitas exhibetur, ibi intellectus semper habet, unde perficiatur, & voluntas sancta dilectione succenditur.

Nec cuiquam hæc a proposito aliena videbuntur, vix animadvertat ad senectutis felicitatem non conferre solam noxiarum omnium voluptatum dimissionem; sed expedire etiam, ne desideria animum invadant, & in discrimen pravi consensus inducant (1). Teterrimum sane conflictum excitant in senibus species illarum oblectationum, quibus olim dediti fuere; quibusque impotens ætas indulgere non valet; quare si non opere, desiderio tamen in eas feruntur; & ipsa interdictio grande est fomitis incita-

(1) *Constante tibi pudicitia, virtus tibi salva est.* Senec. de beata vita.

tamentum. Quod si cum iuvenes essent corruptelas ignoraverint, vel ab his mature abstinuerint, quiescente sub annorum pondere rebelli sensu, non fingunt animo, quæ numquam noverunt, vel cognita, dominante semper in eis temperantia, feliciter contriverunt. Nihil mentem eorum agitat, nihil lumen rationis obnubilat, nihil assequi cupiunt, quam in ea integritate, & virtute diem extremum obire; in qua colenda vitæ totius curas insumpserunt. Ad hoc divina præcepta, legesque humanæ maxime conducunt, hominem scilicet ad ultimum finem suum, Deum nempe, summum bonum dirigere, qui eum posuit in manu consilii sui, ostenditque ei bonum, & malum, ut ad quodcumque vellet se converteret; constituta mercede æterna his, qui in iustitia, ac bonitate perseveraverint; pœna etiam inflicta iis, qui a recta via declinaverint.

## CAPUT II.

*Conscientia bene anteactæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima.*

ALterum capitis huius argumentum mihi suppeditat idem Cicero, qui senectutem recreare docet, iucundamque reddere conscientiam bene anteactæ vitæ, benefactorumque recordationem. Reiecta, damnataque a sapientioribus Philosophis Epicureorum opinione, qui hominis felicitatem in voluptate collocabant; maxime illis

illis cordi fuit virtutem commendare, eamque beatitatis uberrimum fontem ostendere. Ubi enim recti honestique amor nobis ingenitus pravæ, deceptæque voluntati non cesserit; sed iniquis illecebris æquitatem, & temperantiam prætulerit, tanta fit animo lætitia, & iucunditas, ut nihil suavius, & delectabilius res creatæ omnes ei præstare sufficiant. Curnam legentes, & audientes præclaras virtutes, fortiaque gesta eorum, qui de patria, aut de religione maxime meruerunt, admiratione & gaudio rapimur; e contra facinora, vitiaque improborum execramur; nisi quia pro virtute, & pro benefactis formati sumus; ideoque depravationem, impietatemque quamcumque detestamur? Non solum amici commendationem hanc, dilectionemque sibi vindicant, sed etiam inimici; ut si æquos, si liberales, & beneficos experiamur, eos amore, & existimatione dignos habeamus. Cum autem aliena merita ad laudem, & ad probationem nos provocant, & quodammodo in illis oblectamur; si conscientia nostra, occiduo vitæ curriculo, testimonium reddat, non in otio, non in commodis, atque deliciis tempus impendisse, & quibuscumque libuit profuisse, horum memoria dulcissimam nobis parit consolationem. Quid laudamus veteres nominis gloriam, magnanimitate, gestorumque excellentia assecutos, eorum imagines, monumentaque in eorum honorem erecta læti suspicimus, & admiramur? Nulla ne nos capiet voluptas, eos in contemptu deliciarum, in morum disciplina, in industria,
in

in contentione studiorum secutos fuisse? Nequaquam hoc delectabili sensu privamur; sed de his magna cum iucunditate loquimur, eorum merita extollimus, & summopere utiles reipublicæ prædicamus. Multo igitur maiori lætitia afficiemur, si superiorem ætatem recolentes nihil tædere, & pœnitere nos faciat, sed de bene actis gratiam, & benevolentiam apud viros probos obtinuisse conspiciamus. Senecam summum Philosophum, & eximium Neronis Cæsaris institutorem, morti ad quam impie ab eo damnatus fuerat, tranquilla mente occurrisse ferunt, quod optimis præceptis illum informasse sciret, nec umquam a severitate, quam sibi proposuerat, declinasset. Longe Seneca superior Socrates, moralis Philosophiæ parens, ab Atheniensibus item lethali sententia perculsus, quod deos, quos colebant, despiceret, & supremam omnium causam Deum prædicaret (1), non concidit animo, fine suo appropinquante, sed hilaris eum expectavit, spe confirmatus, quod fama eius, ac doctrina tota in posteritate superstites fuissent. Si vero his momentis, quæ de benefactis solamen, gaudiumque inspirant, certa addatur scientia, non omnia cum corpore finem habere; sed animam ad æternam remunerationem reservari;

tan-

(1) *Denique Socrates ex ea parte damnatus est, qua propius tentaverat veritatem, deos vestros destruendo.* Ipse ab oraculo Apollinis dictus fuerat virorum omnium sapientissimus. Tertull. Ad nationes lib.1. obiit an. ætat. suæ 94. cum doctissimum opus absolvisset. Ita Laertius.

tanto lætior, suaviorque erit, eximiorum operum, & integritatis vitæ recordatio.

Animorum immortalitatem olim Epicurei negarunt (1); modo contra sapientum omnium sententiam, divinarumque Scripturarum auctoritatem effrænæ libertati dediti eam inficiantur. Qua posita veritate, statim apparet ratio, cur dum vivimus, ad bona opera a nobis sit incumbendum; cum certum sit, quod sicut iustis immortalis beata remanet remuneratio; ita malis interminabile statutum est supplicium. Homo enim non fato subiectus, ut Stoici putabant, sed a Deo libero arbitrio donatus & fugiendi iniqua, & sectandi honesta, si a recto virtutis tramite non declinaverit, & in obeundis iustitiæ muneribus fidelis extiterit, certa spe solatur ei in cœlis præmium non defuturum. Non frustra laborasse videns, nec divinis paruisse mandatis; cum ipse Deus se magnam dixerit bonis mercedem, quoties iam multis progressus in annis, non remotam conspiciat corporis sui dissolutionem, mundo valedicens, meliorem vitam sibi paratam expectat. Hinc est, quod sancti homines, vel innocentia clari, vel pœnitentia spectabiles, vel eximiis gestis illustres, vinculis carnis exsolvi cuperent, ut Dei aspectu, in quo sum-

(1) *Non enim assentior iis, qui hæc nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia cum animo deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur.* Cicero de Amicitia.

summa est felicitas, fruerentur. Hinc est, quod iam quasi in cœlestium consortio admissi, quidquid ipsis adhuc pati supererat, magno in pretio haberent, quod eorum passio ad altiorem illos efferebat beatitatem. Stupebant tortores idololatræ, tantam inspicientes in Martyribus animi magnitudinem, qui, quo sævius torquerentur, eo fortiores in tormentis fierent; ignorabant enim virtutem ab alto eis inditam, & a corona gloriæ, quam brevi accepturi erant, recreari.

Si vero præter virtutes proprias, quæ nobilissima sunt animi ornamenta, accedat multorum benefactorum memoria; tanto illa iucundior erit; cum post se tot laudatores, gratosque relinquat, quot eius amorem & liberalitatem experti fuerint. Hæc est enim beneficentiæ vis, ut quibus benefeceris tibi amicos, additosque reddas; & nisi omni sensu caruerint, mutuis officiis, & benevolentia, quam poterunt, vicem rependant. At quamvis a beneficio nihil acquiratur; attamen, ut inquit Seneca, amissum non est; nam quod datum actum est, durat; *est enim recte factum, quod irritum nulla vis efficit*. Quoties pro retributione beneficia fiant, vilescunt; cum suam, non alterius utilitatem quærunt, qui ita liberales, facilesque in muneribus videri volunt. Ab animo forma datur rebus, quas agimus; adeoque etiam actiones illæ, quæ bonæ habentur, ut munerandi voluntas, obscurantur, & quodammodo dehonestantur, nisi ad rectum finem dirigantur. Bo-

H num

num ex integra causa, ut aiunt Philosophi; malum ex quocumque defectu procedit. Beneficentia igitur, quæ magnam parit iucunditatem a magnitudine animi, ab optima propensione quoslibet adiuvandi oriatur; tunc ab invidia benefactor tutus erit; tunc in eum omnium oculi, omniumque laudes convertentur; præcipue si illos opitulari curet, qui eius auxilio, & beneficentia magis noverit indigere. Hi a calamitatibus suis erecti, & recreati; cum nihil benefactori rependere queant, a precibus apud Deum pro eius incolumitate, & a commendationibus, in quibus est vera retributio, non cessabunt.

## CAPUT III.

*Senes iuvenum amorem, & æstimationem sibi conciliant, quoties urbanitatem, morumque suavitatem conversando sibi propriam ostendant.*

AEtatis disparitas, quæ senes inter, & iuvenes occurrit, cum morum, cogitationumque diversitatem inducat, plerumque senectus a iuventute dissociatur, & suam quælibet diligit vivendi rationem. Iuvenes enim, cum sanguinis æstus quandam ferocitatem in eis accendat, ægre morosos, austerosque senes habere in consuetudine ferunt, adeoque sui similes excolunt, studioque omni prosequuntur. Quid ergo senilis ætas ita a iuvenibus despicienda erit, ut ab ea prorsus abhorreant, atque ab eius familia-

liaritate seiuncti, omne commercium cum illa recusent? At cur tantopere Lacedæmones, cur Athenienses, cur Romani, aliique populi multi, adolescentes cum legatis, suisque ducibus ætate provectis ad negotia Reipublicæ gerenda, ad bella agenda mittebant; nisi quia constabat ipsis, non posse formari bonos cives, neque in militiæ disciplina satis instrui, quoties eorum consilia, & documenta factis comprobata non percepissent? Narrat Cicero L.Æmilii, & P.Africani comitatum splendidum, utilemque patriæ extitisse; quod nobiliores iuvenes eos frequentarent, ab eorum lateribus fere numquam discederent, ac ut magistros venerarentur. Non eos ætas provecta alienabat; sed potius alliciebat, quod eorum in vultu semper aliquid dignitatis splendesceret, sermones comitate condirent, faciles, lætique quovis tempore se præberent. Hisce summis exemplaribus prælucentibus, quæ Romana iuventus quotidie ob oculos habebat, eorumque gesta, moresque admirabatur, haud facile dictu est, quantum profecerit, & eorum institutio ad amplificandam patriæ gloriam contulerit. *Ut enim adolescentibus*, inquit Tullius, *bona indole præditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a iuventute coluntur, & diliguntur; sic adolescentes præceptis, gaudent quibus ad virtutum studia ducuntur.* Errant profecto senes illi, qui iuvenum levitates severo supercilio arguunt, eorum prima litterarum experimenta vituperant, aut contemnentes irrident, vel acerbius quam oportet, defe-

ctus eorum insectantur. Amor honestatis patienter, suaviterque ipsis est inspirandus; sensim turpium gestorum eos pudebit, ad laudem, non ad vituperium sibi promerendum aures inclinabunt, & si immaturi adhuc forent suarum in palæstra exercitationum fructus, amice instruendo perfectiores reddent. Nemo repente fit summus; sed sicut plantæ sensim, cum manus excellentis cultoris inutiles recidat ramos, adolescunt, suoque tempore fructus producunt; ita res est cum iuvenibus, qui blande, suaviterque ab optimo sene admoneantur, cautiores, dociliores que evadunt, atque ad omnem virtutem efformantur. Gaudent ipsi audire veteres historias patriæ præsertim, ut qui de ea benemeruerint, imitentur; maxime vero, si inter illos maiores suos suspiciant, quorum laudabilia facta libenter memoria retinent; suntque ipsis ad eamdem nominis famam incitamenta. Hinc patet ratio, quare oportet, ut iuvenibus placeant senes, in conversando non solum faciles; sed optime exculti sint, & eruditi; non enim sine multis cognitionibus teneras mentes sibi allicere possunt, cum naturaliter cupiditate addiscendi incendantur. Bonam igitur indolem adolescentes manifestando, sicut senibus delicias faciunt; ita ipsis sapientum senum consuetudo maxime delectabilis est, & iucunda. Idem de se ipso testatur Cicero: *Ego*, ait, *Q. Maximum eum, qui Tarentum recepit adolescens ita dilexi senem, ut æqualem*; *erat enim in illo viro comitate condita gravitas, nec senectus mores immutaverat, quam-*

*quam*

*quam cum colere cœpi non admodum grandem natu; sed tamen iam ætate provectum*. Inter senes summopere commendabiles effertur Pomponius Atticus, cuius tanta erat sapientia, & comitas cum adolescentibus, ipso M. Tullio fidem faciente, ut secum plures semper haberet; & quamvis iam multos in annos processisset, numquam quoad vixit, minor fuit eorum frequentia, eorumque dilectio. Idem meis diebus præstiterunt Florentini non pauci nobiles, ac docti homines, ut Senator Philippus Bonarotius, Ioseph Averanius celebris Jurisconsultus, Senator Ferrantes Capponius, Præpositus Antonius Gorius qui statis diebus ædes suas cultis, studiosisque iuvenibus apertas tenebant, & secum litterariam, eruditamque conversationem habebant. Nullis tamen magis decet mansuetudo ac benevolentia, quam parentibus senibus erga filios; cum eos moneat Apostolus, ne illos ad iracundiam provocent, sed cum spiritu lenitatis, & caritate Domini in omni virtutis opere instituant. Ad Ephes. 6. 4., ad Coloss. 3. 21. Iam ipsi paternam potestatem sentiunt, quibus si parentes addant acerbitatem, nimiumque rigorem, non solum filii ad indignationem provocantur; sed in contemptum, & odium reverentiam, & amorem convertunt. Ut possit ergo pater glorificari in filio, & sibi similem post se relinquere, ut ait Salomon Eccli. 30., pacificis verbis, hilarique vultu cum eo utatur, & quidquid indulgere valet, libenter indulgeat. „ Lætabitur pater in filio, „ quod eius dilectione devinctus, nihil quod ei

„ pla-

„ placitum est, cogitabit. Columen fiet domus „ suæ, defensor contra inimicos, reddensque „ gratiam amicis suis „. Accidit Florentiæ cum nobilis quidam filiusfamilias plura aureorum millia aleis perdidisset, nec auderet patri iacturam suam manifestare, ille, re cognita, totam pecuniam paravit, vocatoque filio humaniter dixit, ut illam numeraret. Accipe, inquit, & solve creditori tuo; hoc æquum est, meo tuoque honori necessarium. Obstupuit filius tanta parentis sui clementia, & probitate, atque suffusus verecundia, imposterum a ludis, malisque dispendiis semper abstinuit.

Loco parentum succedunt amici senes, qui si eorum sectentur vestigia, exhortationes, consilia, optimaque exempla adolescentibus exibentes, non solum ipsis, sed reipublicæ singulare præbebunt beneficium. Contigit aliquando iuvenes aliquos difficilis indolis, vel ad pravos mores proclives, salutaria seniorum monita refugere, suorumque æqualium consuetudinem anteferre. Verumtamen non sunt hi in perversitatis via relinquendi; siquidem tanto magis infirmus indiget medico, quo gravior est infirmitas. Dexteritatis erit, & industriæ optimi senis ad bonam frugem eos revocare, vitiorum turpitudinem, boni nominis iacturam, suæque animæ spiritualem ruinam commostrando, ut ab assentatoribus, malisque sociis abstineant, & quas olim noxias voluptates sectabantur, amore virtutis dimittant. Patientia opus est longa, & indulgentia in iis, quæ ferventi ætati relaxari possunt; dum-

dummodo fructus aliquis obtineatur, spesque eluceat, eos rectæ vitæ honestatisque documenta æqui bonique facturos.

## CAPUT IV.

### *Temporis acti laudatores senes ne fastidiosi fiant.*

QUi prospera longaque vita donati sunt, multaque populosis in civitatibus viderunt, atque egerunt; ea libenter suis in sermonibus, & cum amicis frequenter usurpant. Veteres mores impense commendare solent, & qui floruerint in exemplum adducunt, recentem vivendi rationem incusantes, ac despicientes. Huiusmodi sui temporis laudatores non gratiam apud audientes inveniunt, sed ipsis fastidium pariunt, cum persæpe eadem recinent, quæ pluries retulerunt. Dedecet profecto senes aucupari laudes, & quamvis ab amicis sua aliqua referre gesta rogentur, non nisi parce, & sine ostentatione iis morem gerere poterunt. Gaudent utique ipsi singularia facta percipere, & qui fuerint superioris ætatis eventus audire, illos præcipue, de quibus nulla extant publica monumenta. Verumtamen quædam observandæ sunt leges, ne quod recreationis causa adducitur, in alicuius detractionem recidat, & summorum Imperantium maiestatem offendat. Primum silentio prætereunda sunt viventium nomina, & defunctorum, si partem aliquam in facto non commendabili habuerint. Secundo, quæ ex-

excusanda sunt, excusari debent; dummodo de malitia, & de intentato crimine non constet. Tertio, quæ incerta sunt, & vulgaris famæ, pro veris, absolutisque rebus non sunt adserenda. Quarto, si quis aliqua in re deliquerit, & alias honesta multa, sapienterque gesserit in publicum referantur, ut lapsus eius virtutum splendore diluatur. Quælibet ætas suas magis, aut minus propitias, & adversas habet vicissitudines, & qui in ea vixerunt ab eadem varietate abrepti, dominantem spiritum secuti sunt. Pensanda est igitur ratio temporum, non enim omnia, quæ quondam commendabilia ducebantur, aliis diebus, eodem in pretio, & usu tenentur; adeoque qui obsoleta, & derelicta laudibus prosequeretur, risum, & contemptum moveret. Virtutes tamen animi qualibet ætate honorem, & æstimationem sibi vendicarunt, & quo excellentiores, perfectioresque illuxerunt, eo maius gloriæ ornamentum promeruerunt. Item aliorum studiosa specimina commendanda sunt; semper enim aliquem pariunt in republica fructum; & si quid ipsis immerito opponeretur, firmiter, valideque diluatur. Huiusmodi vindiciæ nullo pacto sunt omittendæ, quoties de catholica doctrina agatur, quam qui docuerit, & ab alio impugnetur, pro aris, & focis defendat, & adversarium refellere studeat. Incidimus enim in mala tempora, in quibus improbi scriptis suis undequaque diffusis S.Ecclesiæ dogmata pervertere conantur; ideoque optime de religione merentur, qui ea convellunt, penitusque evertunt. Huiusmodi

modi commendationem libentissime tribuam Theologis Romanis, qui, quotquot apparuere, perversæ doctrinæ libros invicte confutarunt nostris hisce diebus, & depositum fidei, deducta ab omni antiquitate doctrina, servarunt.

Neque minori laude digni habendi sunt, qui non nova rationum momenta, sed iam ab aliis tractata iterum producunt; si enim adversarii sibi licitum putant easdem difficultates, vel potius cavillationes, & sophismata impudenter obtrudere, cur nobis impugnatoribus fas non erit eadem sumere arma & veritatis fundamenta obiicere, ut eos prosternamus? Maximi semper habebitur doctrina Augustini de Gratia Christi, qui ut Pelagium, Cœlestium, Julianum, aliosque catholicæ fidei eversores contunderet, eos, pluribus exaratis tractatibus invictissime refutavit. Ita actum est ab Hilario Pictaviensi contra Arianos, a Cyrillo Alexandrino adversus Nestorianos, a Maximo Martyre contra Monothelitas &c. Nemo autem a te nostra hoc in capite proposita, quæ hactenus diximus, aliena putet; siquidem contingit non infrequenter, ut iidem auctores in cœtibus litteratorum inveniantur, & quasi de crambe recocta, ut aiunt, insimulentur. Tunc opere pretium est suis de scriptis rationem reddere, eosque criticos, qui fortasse vix titulos operum aut compendium aliquod lustrarunt, deprecari, ut legendo controversiæ statum melius agnoscant, & tunc de utilitate, vel inutilitate operis tutius iudicium ferent. Qui ita se gesserit, non tamquam quæsitor

sitor

sitor propriæ laudis habebitur, nec amicis molestus erit, cum veritatis patrocinium numquam sit omittendum. Hanc semper totis viribus propugnare oportet, quod non desunt hæretici, falsique doctores, qui ei insidiantur, ut semidoctos, & simplices suam in pravitatem adducant. Admonuit Apostolus 1. ad Cor. oportere hæreses esse, calliditate, & superbia malorum numquam quiescente, sed nos consolatur etiam, docens Ecclesiam fundamentum, & columnam esse veritatis, atque in ea magisterium sanæ doctrinæ usque ad finem seculi non defuturum.

## CAPUT V.

*Lætius senes commodis suis perfruuntur, si ea proprio sudore comparaverint.*

HOdierni politici homines, qui civium æqualitatem promoventes, eorum felicitatem facere, & stabilire conantur, toto cœlo aberrare mihi videntur. Tanta ne dementiæ vertigine capti sunt, ut non agnoscant, ablata in republica industria, extincto studio, eversa æmulatione, omniumque bonarum artium stimulo, otio, ignaviæ, & contemptui virtutis horrendum ostium palam fieri? Quid iuvenes nobiles excitat ad militiæ discrimina fortiter obeunda, nisi gradus honoris? Quid artifices in labore indurat, ut pondus diei, & æstus hilares ferant, nisi spes maioris lucri? Quid ingenia ad excolendas optimas facultates valedicere cogit solatiis, deliciis, mollique

lique vitæ, nisi splendidioris fortunæ expectatio, ampliorisque census? Ubi ergo eodem in ordine ignavi, & industrii, sapientes, & insipientes, nobiles, & plebei redigerentur, subducto virtuosæ contentionis præmio, animos quoslibet languor, & inertia perpetua occupabit. Sed qui publicis officiis, negotiisque perfungentur, qui exercitibus imperitabunt, qui bellum, pacemque administrabunt? Illine, qui in tumultuosis comitiis a segnibus civibus, nulla prærogativa, nullaque experientia præditi, vel a plebe electi fuerint? Athenienses ergo, Thebani, ipsique Romani damnandi erunt, qui valentiores duces, illustriores Philosophos, consilio, & sapientia clariores viros ad administrandam Rempublicam assumpserunt, eosque patriæ principes esse voluerunt?

Sed inquiunt, plerumque tyrannos, & despotas fieri, qui diu iisdem dignitatibus gaudent, atque assueti imperio subditos vexant, atque despiciunt. Concedo a Rebuspublicis optime constitutis magistratibus suis positos terminos, quibus absolutis, ad privatam vitam revertantur; sed honores ipsis servandi sunt, & ita apud Romanos consulares viri, patricii, equites, non cum plebe confusi, præcipuum in urbe gradum obtinebant. Et quænam lex vetare potest, ne quis proprio ingenio, & labore rebus suis melius consulat, ab indigentia exsurgat, & locupletior fiat? Hoc enim a iure naturæ cuilibet licitum est; si ipsa cum aliquibus liberalior fuit, eosque potioribus donis mentis, & corporis cumulavit, cur

cur compotes non erunt, ut operum suorum fructus percipiant?

Cum hoc apud cultas nationes certum, firmumque teneatur, quanta erit senum consolatio, qui memores præteriti temporis, quo ignoti, multisque egentes, plures annos laboriosam, afflictamque vitam duxerunt, tandem ad honorabilem, commodamque conditionem pervenisse lætantur? Hoc autem singulari gaudio litterati homines affici debent, quando depulsis æmulationibus, suavior tranquillitatis aura eis adspirat, quando illustre nomen sibi compararunt, benevolentiam amicorum conciliarunt, usui vitæ commoda necessaria obtinuerunt. Nullus illos dignitatis ambitus sollicitat, nullum thesaurizandi studium promovet ad maiorem contentionem; sed sua sorte contenti nihil aliud cogitant, quam iis, quibus possunt benefacere, & quietos, sanctosque dies in finem usque traducere. Hæc vera senum felicitas, si ad eam pervenire valent, quæque multorum fructus est laborum; quibus si sors aliqua accesserit, multo ampliores, lætioresque fient.

Sortem aliqui dixere fortunam, quæ unde veniat, haud satis compertum est. Nonnullis placuit huiusmodi gratiæ & favoris propensionem ad probitatis opinionem referre; quippe nihil ea fortius ad benefaciendum inclinat. Aliis visa est similitudo animi potissima amicitiæ conciliatio, cum ea in factis, verbisque reluceat, & se naturaliter prodeat. Quidam ingeniosam dexteritatem putant fortunæ opificem; scilicet,

quod

quod oblata opportunitate, aut patronum quis sibi adsciscat, aut sapientiæ æstimatorem acquirat. Pro certo tamen hoc habendum est, stultos nempe, & immerentes fortunam non sequi; & qui aliquandiu visi sunt fortunati, vento simile felicitatis suæ tempus apparuit. Non deerunt qui fortasse dicant, nimis caro pretio hoc virtutis præmium comparari, scilicet totius pene vitæ labore, studioque, ut breves, incertique senectutis anni iucundiores eis obveniant. Pudet hos talia comminisci. An ne pro nihilo habent conscientiam bene acti temporis, sibique & aliis utiles fuisse? An ne cognitiones contemnunt, quibus studii sedulitate mentem suam exornarunt, & ignorantiæ tenebras depulerunt? An ne ipsum virtutis meritum, ad quam nascimur illos non sollicitat, ut omni conatu de ea mereantur? (1) Esto in terrenis facultatibus fortuna destituti parum accrescant, divites tamen fient in bonis spiritualibus, quæ cum vita corporis non intereant, æternam sane retibutionem consequuntur. Ab inertia igitur experciscantur, qui ita sentiunt, ut præsentes conditionis humanæ calamitates leviores reddant, atque beatam immortalitatem in otio torpentes non amittant.

---

(1) *Omnino est amans sui virtus; optime enim se ipsa novit, quamque amabilis intelligit.* Cic. de Amic.

CA-

## CAPUT VI.

*Augetur senum consolatio, si nemini iniuriam fecerint, & quibuscumque profuerint.*

HOnesti hominis, & vere christiani est nemini causam offensionis dare. Verum fortitudinis virtus, quæ summa in tantis vitæ vicissitudinibus requiritur, non numquam deficit, & qui provocatus fuerit, vix contineri potest, quin vindictas sumat. Licet profecto cuilibet sua defensio; præcipue si de bono nomine, aut de vita agatur; sed habita semper moderatione necessariæ defensionis. Cum quis ad provectam ætatem pervenerit, & conscius sit nullam cum aliquo querelam habuisse, immo quibus libuerit beneficia contulisse, magna perfunditur iucunditate, mutuæ dilectionis percipiens effectus. Neque hoc tam difficile videri debet; cum quilibet, si velit, comparare sibi possit; sufficit enim, si ingratum aliquid ei contingat, primos iracundiæ motus compescat, magnanimitatem iniuriæ ópponat, qua homo se ipsum vincit, mentisque tranquillitatem custodit. Præclarum hoc documentum nobis præbet moralis Philosophus de Clement. lib. 1. cap. 5. ait: *Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, & iniurias, atque offensiones semper despicere*. Nemo magis suam tuetur dignitatem, quoties eum non feriant adversitates, & quavis in angustia forte, ac strenuum pectus

pectus exhibeat, maxime si his nullam dederit causam; quod brevi evanescunt, & innocentia, ac probitas splendidius coruscant. *Cavendum*, inquit Plutarchus Polit. pag.52. edit.Griph.Lugd. *nobis summopere est, & imprimis optandum, ne ipsi nobis tempestatem aliquam concitemus, & malorum nostrorum auctores, & principes simus; verum si quo casu adversitas eruperit, ulla nobis arte ab officio discedendum non erit.* Hanc in funestam calamitatem se præcipitem egit M. Tullius, qui amore in rempublicam elatus, cum laxatis omnibus inimicitiæ habenis, M. Antonium tamquam patriæ pestem insectaretur, ab Urbe profugus, & undique quæsitus ad necem, tandem ab eius militibus interfectus est. Quam tristes luctuososque senectutis suæ dies Ciceronem egisse arbitramur! qui nullibi vitæ securitatem inveniens, & undique sibi paratas insidias agnoscens, a formidine mortis, & implacabili odio conflictatus, fatis cessit iniquis. Ecquid ei profuit tam vehementer contra Catilinam, M.Clodium, Verrem, Vatinium aliosque in foro perorasse, & proscriptos damnatosque vidisse? Eos equidem sibi fecit infensissimos hostes, nec ullum ex his patronum habuit, pro quibus omnes eloquentiæ suæ vires, artesque prudentiæ tot annis impenderat? (1) Ex quo patet plus nocere unius inimici invidiam, & acerbitatem, quam plurimorum amicorum clientelam, & benevolentiam prodesse. Multo aliter se

(1) Midleton in Cicer. vita.

se gessit Plato (1), qui Athenis Siracusas profectus, cum frequenter coram populo libertatem commendaret, & excutiendam tyrannidem diceret; quod contra Dionysium, qui regnum usurpaverat, nihil insolens, & acerbum protulisset, a Rege humaniter dimissus est; & cum Lacedæmonem applicuisset, summo cum honore Spartani complexi sunt. Hic autem commemorasse iuvabit, aliquos me vidisse senes, qui florentibus annis dignitate, & Magistratu valde spectabiles, cum fastum, elationemque ostentassent, insignibus muneris exuti, in despectu, & oblivione omnium vitæ suæ reliquum transegerunt (1). Difficile admodum esse, aiunt aliqui, dignitatis auctoritatem sustinere, rectamque iustitiam administrare absque querela, & offensione, quod nemo adverso iudicio subiacere velit: ast si adhibeantur mansuetudinis, & lenitatis modi, delientur animi, ut ea etiam, quæ displicent, tranquille, & patienter excipiant.

Alterum consolationis caput, quod senibus accedit, est recordatio largitatis, & beneficentiæ amatores fuisse. Plura sunt beneficiorum genera, quæ sapienter describit Seneca lib.1. de Benef. cap.2. *Alium re*, inquit, *alium fide*, *alium gratia*, *alium consilio*, *alium præceptis salutaribus adiuva*. Non enim singulis eadem bona

(1) Plutar. in vita Platon.

(2) *Quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis quid possint, ostendant*. Senec. de Benef. lib.2. cap.5.

na præstare valemus; sed pensandæ sunt circumstantiæ, & facultates. Re quidem benefacimus, si pecuniam indigenti, vel patrocinium impertimur. Hoc primum est liberalis hominis opus, qui aurum in arcis, non ut idolum servat, sed in alterius impendit utilitatem. Is non solum apud Deum optime meretur, sed eximiam exercendo virtutem, & sibi devotum amicum adsciscit, & magnam acquirit æstimationem. Ex quo numquam satis aliquorum improbo avaritiam, & tenacitatem, qui huiusmodi, cum possint, negant elargitiones, neque mutuum dare sine maximis cautionibus, aut fœnore indulgent. Quid ipsis prosunt superabundantes divitiæ, si copiam aliis non faciunt, præcipue cum de promovendis studiis, aut de sustentando præclaro aliquo ingenio agitur; qui vir studiis deditus, ornamentum, & decus patriæ futurus videtur? Quantæ igitur iucunditatis, & lætitiæ erit senibus illis, cum Petrarcas alteros, vel Borellios, aut Torricellios suis opibus adiutos exsurgere viderint, & de nobilioribus facultatibus ab ipsis restitutis, vel amplificatis publicum testimonium habuerint. Mediceorum equidem Principum memoria, & gloria totum in orbem perlata, æternisque monumentis consecrata semper celebrabitur, quod nullis parcentes sumptibus, & subditos suos, & undequaque conquisitos doctos viros aluerint, largisque stipendiis munerati fuerint (1).

I Aliud

(1) Marsilius Ficinus in procem. tract. de Relig. Christ. Magnum Laurentium Medicem commendat, quod a teneris

Aliud beneficii genus est fides, in qua honestatem significare voluit. Cum enim amicus amico secretum aliquod ei conferat; honestum virum decet, non palam facere, quod sub secreti sacramento reconditum est. Contingit etiam, ut si quis de instanti aliquo discrimine, aut de famæ ejus detractione inscius sit, ubi ab amico opportune admoneatur, suisque consulat rebus, maximum illud beneficium fideli amico referri debet. Nemo flocci faciat huiusmodi fidem, sed tamquam inviolabile bonæ voluntatis propositum habeat, sartam, tectamque alterius amicitiam, vel propriæ utilitati, vel gloriæ anteponat, neque ab ullo malo consiliario submoveri sinat. Ut mala plurima, prodito amicorum secreto, in privatas domos, & in populos redundarunt; ita eo religiose custodito, res magnæ, & utiles prodierunt.

Inter beneficia Seneca tertio loco collocavit gratiam, quæ est personarum acceptio; cum eas comiter amplectimur, & quem possumus favorem impertimur. Ad viros in dignitate constitutos hoc maxime spectat; quorum aliqui ita proclives sunt, & faciles, ut vulgares quoscumque

---

annis eum liberaliter sustentaverit, & ad excolendam philosophiam præcipue impulerit. Angelum Politianum Græcæ, Latinæque eruditionis lumen immortale, Bernardum Dovirium, deinde Cardinalem S.R.E. celebratissimum quis ad studia promovit, aluitque nisi idem Laurent.Medices cognomento magnificus? Vide Elogia Mediceorum Principum a me exarata: & in magna Collectione Virorum illustrium Etruscornm edita.

que humaniter benigneque coram admittant, & adloquantur, & si quæ petunt, præstare nequeant, bonis saltem verbis consolatos dimittunt. Ex his aliquos, cum Florentiæ frequentarem, sæpe admiratus sum, quod quamvis successivis horis supplices libellos, quærimonias, & negotia audirent, numquam ab hilaritate, & patientia excidebant (1). Alii autem longa mora fastiditos clientes aspere agunt, & ea, quæ recusare nequeunt, tanta cum ruditate concedunt, ut qui preces suas exauditas vident, ius sibi actum, non gratiam putent. Quid ergo dicam de his, qui humanitatem summis cum honoribus copulaverint, nisi vere animo præstantes, omnique æstimatione dignos celebrandos esse (2); qui autem a vanitate, brevique splendore decepti animos a se alienarunt, sublata auctoritate, spectaculum irrisionis, & contemptus evaserunt?

Quarto loco habetur consilium pro beneficio; & salutaris, ac prudens est insinuatio mediorum ad obtinendum finem. Hinc duo requiruntur; unum ex parte consulentis; nempe rei cognitio, de qua agitur; alterum ex parte po-



(1) Inter hos memoria dignissimum reputo D.Comitem Emmanuelem de Richecourt Francisci I. Imperatoris M.E.D. a consiliis, qui animos omnium singulari quadam humanitate sibi devinciebat, cum supremo regimini præesset, maximamque haberet auctoritatem.

(2) Svetonius ergo Titi Vespasiani humanissimi dictum commendat; cum ait: *Non oportere quemquam a sermone Principis tristem discedere.*

stulantis, voluntas scilicet æqui bonique faciendi consilium. Senes autem longam propter rerum experientiam, aptiores, tutioresque sunt ad optima præstanda consilia; ideoque si nemini ea negaverint, & alicuius vel salutis, vel felicitatis auctores fuerint, maxime ab honestate, & sapientia commendabuntur?

Tandem hortatur Seneca, ut proximos nostros salutaribus præceptis adiuvemus. His præcipue instituendi sunt adolescentes, qui a parentibus nostræ disciplinæ traditi, prima clementa vitæ christianæ, & litterarum accipiunt. Explorata statim eorum indole, cognitisque naturalibus cupiditatibus, iis solertim occurrendum est, & paulatim inserendus amor virtutum, ne oborientibus vitiis, inexperta ætas inficiatur. Ut semina germinent, ager prius aratur, noxiæ herbæ evelluntur, terra præparatur: eodem modo res est cum adolescentibus; novi suam ad institutionem veniunt, leniter, hilariterque imbuendi facilioribus præceptis, & maiorum exemplis ad eorum sectanda vestigia sunt alliciendi. Si in aliquo delinquunt peramanter corrigantur, ut peccati turpitudinem potius horrere discant, quam præceptoris severitatem formidare. Candor spiritus, & puritas animæ super omnia ipsis commendetur, quam si dilexerint ac custodierint, digni fient, ut uberioribus gratiæ cœlestis muneribus cumulentur. Felices ergo senes illi, qui totius vitæ cursum memoria repetentes, non solum neminem læsisse viderint, sed sibi conscii sunt liberales cum omnibus in elargiendis bene-

beneficiis extitisse. Hæ sunt equidem eximiæ artes, quibus perpetua nectitur cum amicis societas, & quæ numquam nisi fato extremo dissolvitur.

## CAPUT VII.

*Bonum nomen adversæ fortunæ conterit ictus.*

PRæcipuus honestæ, castigatæque vitæ nostræ fructus est bonum nomen. Quanti referat illud sibi comparare ex sacris litteris docemur, ubi pretium eius divitiis multis antefertur, omnique cura custodiri præcipitur. Quid enim verum hominis honorem constituit, nisi virtutum suarum commendatio? Non a prosapiæ nobilitate, non ab opulentia, neque enim a doctrina perennis laus stabilitur; nihili enim ducitur sanguinis claritas, si ab inscitia obscuretur, abundantia auri non infrequenter pabulum est vitiorum, humanarum rerum cognitio sine innocentia morumque integritate, mundana prorsus est non cœlestis, impiis etiam communis. Cum vero quis per longam annorum seriem ingenuus, liberalis, amicus cum omnibus apparuerit, si forte adversitas aliqua contra eum exsurgat, conflictetur nempe ab æmulatione, atque ab invidia, nihil calumniæ, nihil falsa dicteria, nec futiles critices ei nocebunt. Non enim unius, aut alterius iniquitas, & dicacitas sapientes, probosque viros bene de illo sentientes expugnare poterit, eorumque iudicium perver-

vertere; quin immo semper eadem in sententia manebunt, & obtrectatores tamquam canes lunæ latrantes despicient. At quamvis tanta foret adversantium malitia, & insidiosum bellum, ut eorum loquacitas apud aliquos prævaleret; non ideo tamen a communi excidet æstimatione, non ei deerunt laudatores, & patroni multi, qui causæ eius defensionem suscipient, virtutemque cognitam, probatamque pesumdari non patientur. Opera præclare gesta; scriptaque publico iuri reddita murmur quodque infensum progressu temporis penitus diluunt, & splendidiora, deiectis omnibus malignis aggressionibus, in dies coruscant. Ast non unum, aut alterum benefactum ad bonam stabiliendam opinionem satis est; præcipue si mala aliqua gesta opponerentur; sed totius vitæ optima ratio reddenda; ut neque in moribus, neque in doctrina quid reprehendendum inveniatur. Nimis ardua fortasse huiusmodi æstimationis acquisitio alicui videbitur; cum inculpatam, sanctamque totam vitam requirat? Verum, nonne ad hanc lumen rationis, legesque nos ducunt? Nonne Deus hanc nobis præcipit, viresque suppeditat, ut a malo opere abstineamus? Nonne præstantius erit labore, & conatu nostro gaudium, & præmium fortiter acti pro iustitia, & veritate certaminis? Non primis cedendum est calamitatibus; sed in bene agendo firmiores effecti, ipsum virtutum testimonium, quod reddimus, adversarios angit, & pudore suffundit, eosque de pessima voluntate nocendi arguit, atque con-

condemnat. Inter multos ab adversitatibus afflictos, quos bonum nomen ad priorem honorem, & fortunam restituit, Cononem Atheniensem nominabo. Hic terra, marique dux expertissimus, cum pro patria contra Lacedæmonios pugnaret, præliumque sinistro fato amisisset; ex quo victores brevi Athenas dominari sperabant; ipse patria pulsus Cypri insula exulabat. Contigit autem, ut ab Atheniensibus, eorumque sociis initum fuisset fœdus cum Artaxerse Persarum Rege, ad coercendam Lacedæmoniorum audaciam, tuendamque reipublicæ libertatem. Cum maxima apud Persas de Cononis virtute haberetur opinio, Tysafferni hortatu mandavit Rex, ut summum belli navalis imperium Cononi traderetur. Ex utraque parte acerrime pugnatum est; sed prævaluit Conon, fregitque Lacedæmoniorum vires; quare Athenienses a periculo servitutis liberati Cononem omnibus cum honoribus in patriam revocarunt (1). Nemo igitur concidat animo, si quid adversi patiatur; verum de bene acta vita consoletur; breves enim erunt invidorum simultates, & serenitas, quiesque dierum redibit. *Omnia honeste fient*, ut ait Seneca, *si honesto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum iudicaverimus, quæque ex eo sunt, cetera in diem bona sunt*. Ut autem ab honestate numquam recedamus; *proponamus oportet*, prosequitur idem Seneca, *finem summi boni, ad quem nitamur,* *ad*

(1) Justini Histor. lib.6. ed.Lugd.apud Gryph. an.1542.

*ad quem omne factum, dictumque respiciat; veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus* (1). Vita sine proposito vaga est, facilisque diversas ad res pertrahitur, quæ aliquando speciem boni, pro vero bono exhibentes, nos decipiunt, & in errorem, vel in pravam aliquam cupiditatem perducunt. Qui autem conscius est, honestatem pro regula morum semper prosecutum fuisse, si aliquando res suæ minus prospere vertant, virile pectus adversitatibus obiiciat; nam vel detractores eius confusi conticescent; vel multo æstimabiliora erunt testimonia, quæ alii de eius integritate, & probitate præstabunt. Eadem hilaritate studia sua excolere non intermittat, quibus deditus est, atque veluti suaviora animi oblectamenta impense prosequatur; nulla enim adversitas eius animum perturbabit, quod Palladis fruens deliciis, infestos omnes mœroris sensus superabit. Felices senes, qui accepti, laudatique sunt, non solum in patria, sed foris etiam plurimorum gratia, & amicitia gaudent, laborum, virtutumque suarum percipientes argumenta.

---

(1) Senec. Ep. 95. Lib. 1. edit. Collon. Allobrogum an. 1613.

CA-

## CAPUT VIII.

### *Amicitia indigens, & importuna facile solvitur.*

INter documenta, quæ ad excolendam amicitiam tradidit Cicero, hoc animadversione dignum arbitror, quod non sit intempestiva, neque molesta. Utrumque fastidiosam consuetudinem reddit; quia frequentia non omni tempore placet, & recreat; & si pro sui utilitate eam colat, ac foveat, delectabilis, & accepta esse nequit. Amicitia enim cum animorum consensione coalescat, si pro delectu tædium, pro commodo molestiam adferat, primum languescit, deinde penitus dissolvitur; nihil enim habet, quod alterius gratiam, & amorem alliciat. De familiaritate, & conversatione loquor inter viros gradu, & ætate æquales, quos vel studiorum similitudo, vel indoles, vel officia copularunt; hi siquidem cum solatium, & recreationem ab amicis quærant, intollerabili fastidio afficiuntur, quoties ineptos, importunosque sermones audire cogantur, & a tranquillitate, quam maxime diligunt, perturbentur. Si vero amicitiæ officium cum aliquo dignitate, & auctoritate pollenti exerceatur; tanto magis caute cum eo incedendum est, ne tibi accessum ad se prohibeat, eiusque benevolentiam amittas. Huiusmodi homines non inspiciendi sunt, qui fuerint; sed qui tunc sunt; ac proinde raro fre-

frequentandi (1), & rarius etiam, si non comiter, & festive te excipiant; dignius tibi erit, si te flagitabunt. Ubi amicitiæ vinculum nectit opinio virtutis, quælibet servitutis umbra fugienda est, & consuetudo ita est moderanda, ut honorem, & benevolentiam referat, non vilitatem. Coram Magnatibus præcipue a tuis laudibus abstine; & cum aliquem de te bene sentientem audieris, fac, ut magis magisque eius gratiam mereare; quam modestia, gratique animi significatione obtinebis.

Novis autem præclare gestis, novisque ingenii productionibus iuvat existimationem alere, atque augere; priora enim facta vetustate obliterantur; si autem quamvis ætate provectum, laboriosum, utilemque reipublicæ te præstiteris, semper laudis, & gratulationis fructus recipies. Qui virtutem sui ipsius contentam esse dixerunt, eam a societate hominum, pro qua elucere debet, eliminarunt; quæ sua quamvis pulchritudine gaudeat, & in recte factis requiescat; attamen non omnem assequitur finem, nisi aliis præluceat, & supremi Datoris munera in aliorum utilitatem impendat. Familiaritatem, & benevolentiam sibi quilibet conciliare enitatur; sed ab importunitate, & ambitione omnino caveat, ne longo labore, & studio comparatam gratiam amittat. Quid vero de popularium amicitia sentien-

(1) *Olim sapienter dictum habebatur, quod parit conversatio contemptum, raritas conciliat ipsa admirationem*. Georg. Schombor. Politic. pag. 157. ed. Amstelod. Elzev. 1642.

tiendum est? Dicam eam non esse negligendam; cum enim populus maior pars sit civitatis, qui populares sibi addictos, & benevolos reddit, eorum maxime amorem, & reverentiam sibi conciliat. Commiserans enim, ac sublevans pauperum indigentiam, affabilem, & æquum cum omnibus se gerens, eorum sibi devincit animos, & quasi in illos dominatur. Ipsos supremos Imperantes non melius firmam tutamque dominationem suam tenere non pauci Scriptores censuerunt; quam si in plebem, & gresarios milites largitiones suas effundant, seque erga eos magis patres, quam dominos gerant. Maiestatem enim cum fastu horrent, avaritiam oderunt, & servitutis iugum, cui iam subiacent, his gravius fieri non patiuntur. In tyrannidem vertitur imperium, quod comites non habeat iustitiam, clementiam, & benignitatem. E contra qui faciles, benevoli, & humani, iustique se præbuerunt, perpetua in pace, & felicitate regnarunt, & immortale nomen adepti sunt.

Ut autem ad propositum revertamur, cum societas ex mutuis coalescat officiis, ipse summus conditor rerum Deus non omnibus omnia dedit, sed sapienter, provideque distribuit, ut invicem homines socientur, & quæ habent bona sibi communicent. Reciproca igitur beneficia inter nos conferamus, ad quæ a natura ipsa inclinamur; cum omnes fratres simus, unum Deum patrem habentes, qui spiritum caritatis in cordibus nostris effundit, & proximos nostros

sin-

sincera dilectione complectamur. Sed cum hæc ordinata esse debeat, ea præstanda, & reddenda sunt, quæ æquitati, conditionique consona videantur; studentes imprimis, ut si quid accepimus, quoties opere nequimus, affectu saltem, gratique animi significatione rependamus.

## CAPUT IX.

### *Quorum litteratorum societas est præferenda*

DUO hominum genera, eorum etiam, qui aliqua dignitate ornati refulgent, me nosse, dicam, quorum aliqui simplices, illiteratosque potius, quam ingeniosos cultosque familiares, amicosque complectuntur; alii suam ad societatem quoslibet in studiis versatos, & in republica litteraria cognitos admittunt. Si quæratur ratio, cur primi ita se gerant, nulla alia mihi suppetit, quam timor, ne pauperes spiritu, multisque in cognitionibus hospites videantur. Fortasse ab adolescentia aliquarum facultatum rudimentis vacarunt, atque in eis honorem aliquem, & laudem promeruerunt; sed cum processu temporis cultum omnem studiorum dimiserint, & otiosæ mollique vitæ se dederint, pene evanuit eorum prima institutio; & quidquid recenter in scientiis adinventum, vel illustratum est, penitus ignorant. Verum ad hos nullo in pretio studia tenentes meus hic sermo non dirigitur; sed ad illos sapientiæ cultores, apud quos

quos cuilibet litterario aliquo pulvere adsperso patet ingressus. Quamvis enim huiusmodi facilitas, & liberalitas plurimi habenda sit, singularemque humanitatem ostendat; plena est periculi, nec omnibus proficua. Occurram ergo his qui aiunt, ad ineundam cum aliquo amicitiam, & consuetudinem, cognitam sufficere honestatem, nec male sentiendum de eo nisi probetur. Non una est, ut nemo ignorat, nominis honestatis acceptio. Aliqui hominem honestum dicunt, qui neminem lædit; alii eum qui cum recta ratione componit actus suos, honestate præditum collaudant (1), aliis eius arridet honestas, qui sua quibuslibet præstat officia, & gratiam pro gratia rependit. Quælibet bonitatis prærogativa hisce hominibus tribuatur, si veram, sanctamque catholicam religionem non profiteantur, semper timendi sunt, magnaque cum prudentia & cautela pertractandi. Frequenter enim videmus advenas cuiuscumque regionis, & sectæ huiusmodi honestatem præseferre, & in politioribus societatibus facile nimium admitti, in quibus, & si caveant errores suos, pravasque doctrinas palam producere; clam tamen quos sibi familiares adsciscunt, veneno suæ pravitatis inficiunt, aut hæsitantes in fide reddunt. Summa hi calliditate utuntur; non enim revelatis veritatibus, & mysteriis, sed rationibus adstrui fidem aiunt, paratosque eamdem amplecti, si per-

(1) Vid. tract. de falsa Philosph. Tom. 1. pag. 113. edit. Taurin. an.1777.

persuaderentur. Hæc leniter dicta illam picem significant, quam qui tetigerit, ab ea inquinabitur. Eccli. 13. 1., facillime namque est, ut qui talia audit ab homine aspectu honesto decipiatur, aut saltem in catholicis dogmatibus fluctuans reddatur. Ab innumeris exemplis hoc probari posset, planeque convincunt, plus orthodoxæ aliquorum fidei nocuisse veteratorum conversationes, quam publicæ disputationes. Hos autem vitandos monuit Christus Dominus Matth. 7. 15. *Veniunt*, inquit, *ad vos in vestimentis ovium*, *intrinsecus autem sunt lupi rapaces*; affectant enim externam simplicitatem, contemptores vanitatum, & divitiarum se ostentant, nihilque magis se cordi habere simulant, quam eximiis in facultatibus proficere; virosque de illis optime meritos colere. Neque tamen me hæc dixisse quis putet, ut omnes acatholicos a nostra societate arceamus; sed ut caute, prudenterque cum illis utamur. Ipsis constare debet, nos non eos odisse; quin immo ad omnem comitatem impertiendam paratos esse. Urbanitate etiam, quibusque valemus beneficiis illos allicere oportet, ut libenter nos audiant, & oblata opportunitate religionis nostræ veritatem, & sanctitatem eis inspirare non omittamus. Nuper a præclarissimo viro sublimi in dignitate constituto, hoc feliciter actum est, ut quidam politioribus litteris excultus, sed in Luterano regno natus, & educatus, errores suos eiuravit, & catholicæ Ecclesiæ nomen dedit. Et quia heterodoxi, in catholicis regionibus viatores, de reli-

ligione disserere refugiunt, proponendi sunt ipsis doctiores auctores, qui falsa dogmata confutarunt, & veritatem orthodoxam perspiscuis argumentis adseruerunt. Plures ex his scriptores nostros ignorant, aut suæ sectæ imbuti legere despiciunt; cum vero huiusmodi lectioni operam dederint, aperti sunt oculi eorum, & sophismata, & cavillationes auctorum suorum abiecerunt. Utilis ergo Ecclesiæ catholice fieri potest litteratorum a fide errantium consuetudo, quoties ad Christi gregem revocare spes aliqua effulgeat, eo vel maxime si ignoranter potius, quam pertinaciter sua in hæresi vixisse fateantur. A moribus cognoscendi sunt; candor enim animi, vultu, & verbis se manifestat; honestas enim, & continentia si in eis resplendeat; tunc clientelam, & societatem nostram merebuntur. Ceterum præclari viri illi semper commendandi sunt, qui omnibus se præstare eisque quibus possunt modis opitulantur. Alterum litteratorum genus, quod cautissime petractandum est, illi sunt, qui cum acri quodam humore agantur, facillime quæstiones accendunt, & quamvis opposite ab eis alii sentiant, a sua sententia numquam recedere volunt. Hi ad rixas potius elati tutius vitandi sunt, & numquam ad controversias admittendi. Cum plerumque eorum exitus plenus sit amaritudinis, & offensionis. Paucos novi Joannes Lamios, pauciores Muratorios, qui cum summa sapientia & universali eruditione mansuetudinem maximam, firmitatemque animi singularem copularent, suavitate, & comitate-

te admirabili sermones suos semper condiebant; & quamvis in scribendo aliquoties stylo acuto, fervidoque usi sint, attamen eorum conversationem humanitate, & urbanitate multa peramabilem reddebant. His exteros viros doctos, suosque cives ita alliciebant, ut quotidie eos libentissime adirent, eorumque cognitionibus litterariis fruerentur.

## CAPUT X.

### *Quæ cura habenda sit valetudinis.*

A Cicerone accepimus senectutem ipsam morbum esse, adeoque senibus maxime curandum est, ut salutem, qua gaudent, tueantur. Ex his aliqui nimium viribus suis fidunt, & quæ florente adolescientia agebant, eadem canitie onusti agere non omittunt. Annorum alii pondus ægre sustinere videntur, mœrentes, solispsi, timidique, ut valetudinarii semper extremos dies suos ducunt. Utrisque occurrere statui; primis scilicet, quod eos disparitatis ætatis reminisci oportet, quæ quo magis processit, vigorem corporis atterit, & si membra omnia usui quotidiano optime serviunt; attamen temperantia, serioque regimine conservari debent. Alii autem expergiscendi sunt a torpore, & mœstitia qua dominantur; non enim ea valentiores evadunt, nec longius protrahunt vitam; sed eam inertem, & semimortuam reddunt (1). Paucis rem omnem

(1) *Imbecillitas corporis animæ quoque vires secum trahit*. S.Hieronym. ad Pammachium Ep.30. ed.Lugud.1726.

complexus est Cicero de Senect. dicens; *Pugnandum tamquam contra morbum est, sic contra senectutem: habenda est ratio valetudinis, utendum est exercitationibus modicis Tantum cibi, & potionis ad bibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur*. Hoc in certamine senes illi congrediuntur, qui vix aliqua sentiunt incommoda, statim concidunt animo, vilescunt, tristes, & inquieti fiunt, lecto decumbunt, & medicos, & pharmaca fatigant. Quam infelix sit eorum conditio nemo nescit; sibi enim, suisque fastidiosi, gravesque redduntur, quod diuturnæ valetudini assueti, si quid adversi experiantur, perferre detrectant, ipsaque animi demissione suas augent ægritudines, atque contristant. Rursum egregium Tullii monitum eis commemorabo: *Valetudo*, inquit, *sustentatur notitia sui corporis, & observatione, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse: & continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi causa; & prætermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent*. De offic. lib. 2. Ut igitur in senectute valeamus, cibo optimo, & parco utendum est; & præcipue qui facilis sit digestionis; semel in die si fieri potest, & secundum regionis qualitatem, in qua quis reperitur. Ubi enim aer est humidus, & crassus, quemadmodum Romæ, & in Langobardia tutius est abstinere a cœna, & unico prandio vires reficere. Oleribus, & piscibus potius quam carnibus paranda sunt fercula, modico sale, numquam vero aromatibus condita; qua-

rum quantitas proportionanda est corpori, ne nimia repletio noceat. Cum hoc ciborum genus non semper haberi possit, hieme præsertim, & in locis, ubi nives, & glacies, dirique aquilones sæviunt; tunc lacte, & ovis instruenda est mensa, quæ gustum recreant, salubriterque sustentant. Qui assueti sunt deambulationes dietim agere, eas omittere non debent, aere tepido, & sereno, mane potius, & meridie, quam vespere; sed nimis provehenda non est exercitatio, ne corpus lassitudine afficiatur. Loca vero salubriora sunt eligenda, ubi scilicet purior adspirat aer, longe ab aquis stagnantibus, sub umbra potius quam sole calente, præsertim æstivo tempore. Quærunt aliqui, utrum matutina vigilantia magis conferat ad salutem, quam protracta dormitio. Ego equidem a prima ætate ad senectam usque summa usus sum vigilantia, mihique perutilem extitisse fateor; spiritus enim sufficienti somno refectus, nec a curis diurnis distractus, aptior est ad laborem, multoque felicius ad res litterarias incumbit. Somnolenti e contra, qui sole iam lucente consurgunt, quodam torpore afficiuntur, donec vires restauraverint; nimius enim somnus corpus debilitat, mentemque veluti hebetem reddit. Ut quis autem diliculo expergiscatur, aliquid operis sibi propositum habeat, ad quod animus sponte feratur; ipse enim moræ impatiens excutit somnum, vim inspirat, studiumque delectabile reddit. Vigilantibus longior est vita, quam dormientibus; totum enim tempus, quod ignavi isti otio tradu-

du-

ducunt, illi ad augendas cognitiones legendo, & meditando iucundissime impendunt; ac proinde anni eorum veluti duplicantur. Neque satis sibi consulunt, qui aiunt, se multam in noctem studium protrahere; ideoque tardiores mane e cubili surgere; nam cibo, ac labore diei debilitatus spiritus illa caret alacritate, qua mane gaudet; minor est contentio, ut vel nova producat, vel excogitata perficiat. Lucubrationes nocturnæ plerumque sunt conatus dormitantium, in quibus numquam, aut raro energia quædam, aut delectus reperitur. Despiciendi ergo sunt somni amatores, qui senum valetudinem longa cubilis tutela servari dicunt; infirmiores, ac debiliores potius ab eo redduntur, si diutius quam oportet, eo utantur. Vires exerceri debent, & actio corporis est ipsius vita; quoties igitur nos torpescere sinamus, & inertes simus, iam a morte præoccupati videmur. Præter hæc omnia, qui sanus, diuque vivere desiderat, animi tranquillitatem habere studeat; illa enim spiritui hilaritatem, lætitiamque conciliat, illa tristitiam, qua exsiccantur ossa, removet, illa ad superos cogitationes evehit, amorem accendit, & in proximos caritatem. Senes itaque usque ad extremam diem strenui, vigilantes, benefici, & operibus, quibus valent dediti sint; ut cum mors advenerit, æternæ pacis, & retributionis digni inveniantur.

F I N I S

# INDEX

## LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ HOC IN TRACTATU ADFERUNTUR.



### EX VETERI TESTAMENTO



Prov.

EX

## EX NOVO TESTAMENTO.



3. *Si*

# AUCTORES

## HOC IN TRACTATU RELATI

Ju-

# CAROLUS MARIA VOENNA

## A S. ILDEFONSO

*Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum*

## VICARIUS GENERALIS.

CUM Opus inscriptum = *de comparanda Senectutis felicitate* = a P. Brunone Bruni a S. Joanne Ordinis Nostri Sacerdote compositum duo ex Nostris, quibus id commisimus, recognoverint, ac probaverint, ipsius edendi facultatem, quantum in nobis est, concedimus. Datum Romæ in Ædibus Nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 15. Julii 1793.

Carolus M. Voenna a S. Ildef. Vic.Gen.

*Reg. Fol.* 110.

Loco ✠ Sigilli.

*Xaverius Tagliaferri a S. Ildef. Secretarius.*



## CENSORUM ADPROBATIONES

DE mandato Reverendissimi P. Vincentii Pani S. P. A. Magistri opus attente perlegi: *De Comparanda Senectutis felicitate* inscriptum; Authore Clarissimo viro *Patre Brunone Bruni*. Solidissima sunt præcepta, quæ senectuti bene regendæ ibi traduntur, quæ cum omnigena eruditione coniuncta, lectionem operis ne dum utilem reddunt, sed etiam valde iucundam efficiunt. Nihil vero occurrit, quod aut Fidei nostræ catholicæ dogmatibus adversetur, aut morum officiat integritati. Quare & dignissimus Author iis laudibus est, quibus alter eruditissimus Censor illum exornat, & publicæ erit utilitatis præfatum opus, si, quod exopto, publica luce donetur.

Romæ ex Conventu Sanctæ Mariæ in Via 4. Junii 1793.

*Fr. Gregorius Maria Clementi*
*Exgeneralis Ordinis Servorum Mariæ,*
*& coram SS.Episcoporum Examinator.*

DEmandatum mihi a Reverendissimo P. Vincentio Pani S. P. A. Magistro doctissimo, & humanissimo munus legendi huius operis *de comparanda Senectutis felicitate* perfeci summa cum voluptate. Vidi optima ad veram senum felicitatem præcepta a Cl. Auctore *P. Brunone Bruni* perspicue valideque tradita, seu christianam, seu litterariam, sive demum socialem Seniorum vitam spectemus, adeo ut qui

qui illa impleat, non experiatur tetrum illud adagium: *senectus ipsa est morbus*, sed potius intelligat atque præsentiat nil senectute iucundius. Auctor ipse, præstantissimus est senectutis doctor, qui iam iam octuagenarius præcepta ipsa suis peregit, peragitque moribus christianissimis, eruditissimis, ac suavissimis, ita sane, ut *μισανθρωπος* ille sit, qui eum non diligat, *αλογιστος*, & invidus, qui eius ingenium, eruditionemque minime commendet. Nam religione ac disciplina, quam tot doctis libris Christianæ Reipub. utilissimis fovit, ingenioque ac doctrina conspicuus, nil prorsus habere in hoc libro potuit, quod Fidei dogmatis, morumque regulis vel minimum adversetur. Utinam Auctor ipse, mei *Συμπατριαρχυ* Romualdi lustra XXIV. metiatur feliciter. Utinam prudentes Senes hoc utantur doctissimo, & elegantissimo tractatu, quo prudentiæ suæ vires addere poterunt validiores! Utinam alii Senes, qui numquam, vel parum prudentiæ studuere, ex hoc ipso tractatu egregiam Senibusque necessariam virtutem sibi acqirant; est enim, meo quidem iudicio dignissimum opus, quod in publicam lucem prodeat.

Dedi ex Hospitio S. Romualdi Postrid. kal. Quinctiles an. MDCCXCIII.

*D. Clem. Biagi Ab. Camald.*
*In Ven. Propagandæ Fidei Collegio*
*S. Th. Professor.*

| ERRATA | CORRIGE |
| --- | --- |
| operioresque pag. 18. | operiosoresque |
| attingerint pag. 31. | attigerint |
| obbligare obbligat p. 32. | obligare obligat |
| misserime pag. 34. | miserrime |
| suppellectilem pag. 77. | supellectilem |
| *in vita Minerva* p. 90. in not. | *invita Minerva* |

## IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

*F. X. Passeri Vicesgerens.*



## IMPRIMATUR

Fr. Th. Vincentius Pani Ord. Præd. Sacri Palatii Apost. Magister.

